



Iter Indicum

1 E Babylone ulterius progredi non deerat animi cupidissima voluntas, siquidem peregre euntes fere omnes (qui nimirum non quaestus causa, sed vel devotionis vel lustrandi gratia domo exeunt) in ea opinione haerent, ut, quanto plures regiones et loca peragrarint quantoque longius abierint, tanto semper plus ultra migrandum existiment, et numquam eo itineris termino, quem sibi domo abeuntes constituere, contenti sint. Quod certe meomet exemplo didici. Ego enim me felicem, immo beatum, et per tempus vitae meae contentum fore putabam, si confecta prima peregrinatione montis Synai et Terrae Sanctae, etiam Babylonis antiquissimae rudera turrisque divisionis linguarum vetustissimas ruinas quondam visere contigisset; quod ut per gratiam Dei non sine difficultate maxima consecutus sum, inciderat illico desiderium aliud, et confluentem duorum totius Asiae fluminum nobilissimorum, ubi trium regionum terrae simul concurrunt, et cui prope Sinus Persicus, in quem Tigris effunditur, et per quem facto itinere limes Turcici imperii transcenditur, videre intendi.

2 Quapropter 8 die Aprilis naves conscendi, quae ordinarie mutatum in anno maximam quantitatem bituminis Basoram advehunt; quod bitumen ab Ayth ex Arabia per Euphratem secundo flumine Feluchiam atque terra Babyloniam, inde Tigride Basoram et per Sinum Persicum Ormusum et Indiam usque defertur, reportantes immensam copiam datylorum aliasque merces. Ad meridiem sequentis diei locum attigimus, ubi Lycus (nunc Lyga) fluvius Tigridi miscetur. Dehinc ruinas Susan Habyrae praeternavigavimus, quae Elam olim et regia Asveri Persarum Regis erat iuxta flumen posita, ubi precibus Esther Hebraea gens ab internecone liberata, et detecto pravo consilio Hamon suspensus, ibidemque Daniel propheta sepultus est. Extat inde arcus triumphalis formam demonstrans antiquae structurae monumentum. Tribus diebus post locus occurrit, ubi Basuth fluvius Tigridem influit, qui Choaspes olim, nobilissimus amnis, a Solino mire dulcis descriptus ita, ut Persici Reges, quamdiu intra ripas Persidis fluit, hunc solum sibi ad pocula vendicarint, et cum eundem foret peregre, aquas eius secum vectitarint. Terra flumini proxima, aliquantum culta et fertilis, interius sicca est et sterilis, quippe aquaeductus Semiramidis, quarum ruinae plurimis in locis videntur adhuc, iamdudum concidere; frequens est his locis, et praesertim ad ripas amnis, herba petrosilio similis, sed tenerior, qua pastum ferunt Nebuchadnosorem, quae palato quidem non ingrata est.

3 Quinto decimo praedicti mensis confluentem Tigridis et Euphratis invecti sumus, ubi Mesopotamia terminatur; et bina flumina trium provinciarum, Chaldaee scilicet, Persiae, et Arabiae desertae agros secant singulisque ripis, castella parvae aestimationis inhaerent, quae gorna vocant; et vectigalia ibi solvuntur. Euphrates late diffusus in stagna Tigridi miscetur et nomen amittit. Hic ad 3 fere milliaria Italica patens in ora nomen usque retinet et, ut Nili Euphratisque, sic huius navigatio propter frequentes praedonum insultus admodum insegura est, quamobrem et semper quindecim et viginti, interdum triginta et plures naves easque bene armatas iunctim ire oportet. Praeficitur autem turmae sive caroannae huic Capitaneus unus, cuius mandato ceteri parent, qui Caroan Passa appellatur. Idque fit in reditu de Basora Babyloniam. Quod iter interdum quinquaginta dierum est, ubi deficiente velis vento naves, ut plurimum adverso flumine, funibus trahuntur iuxta ripas; et sunt naves illae rostratae (quas Danek et Saphine vocant) ad formam biremium confectae, cum puppi cooperta, bitumine tantopere illinitae, quod omni sentina carent. In descensu navigatur iisdem die et noctu, longe autem diverso modo respectu aliorum fluminum, siquidem cessante vento navium puppes plerumque praecedunt; nam tarde leniterque labente amne naves subinde se volventes nunc in hanc nunc in alteram fluminis ripam sine periculo allidunt.

4 Vesperi huius diei castellum Morakib, quod Sangiaccus Arabs tenet, ad sinistram relinquentes altera luce Basoram inflatis velis intravimus. Haec Bosra, et Teredon antiquitus dicta, finis Chaldaee Babyloniaeque est et prima urbs Arabiae Felicis, patria Avicennae medici, ubi reginam illam habitasse quidam dicunt, quae Salomonis Regis sapientiam audiendi studio Hierosolymam contenderat; et huc usque Traianus Imperator cum exercitu Romano pervenit volens Indiam intrare. Numerantur e Babylone huc mille milliaria Italica. Urbs ipsa tria milia passuum fere a fluvio in medio palmarum saltu seposita est, quam canalus ex alveo fluminis praeterlabitur. In quo navale duodecim triribus et aliquot fustis seu biremibus constans, ex adversa ripa in terra Persiae castrum bene firmum cum magno praesidio militum habet non tam propter Persas et Arabes, quam propter vicinos Lusitanos, qui ex insula Ormus per Sinum Persicum quandolibet incursiones facere possunt. Ante annos 60 fere a Solymanno, Turcarum Imperatore, Arabibus adempta est. Hi Arabes Zizayri dicuntur, Ottomannicis semper rebelles, a quibus nec tum subiugari possunt. Per interfusa enim ex oceano aestuaria atque inaccessos recessus tutis terrarum finibus



muniuntur et territoria eorum canalibus tantis distincta sunt, ut nec terra nec aqua facilis ad eosdem sit aditus. Hi novissime castellum quoddam ad ripas Tigridis invadentes Sangiaccum Turcam cum universa familia trucidarunt. Osman Passa Eunuchus urbem, cuius muri e latere cocto sunt, inhabitat. Vidi hic milites, qui contra Arabes exeuntes duo leones sclopetis interfectos praedae loco domum portaverunt. Horum pelles excoriati tribus aliis, qui priori aestate interfecti erant, stramine repleti portae civitatis superpositi sunt. Scorpionibus Basora abundat, qui magnitudine illos Italiae quidem excedunt; quorum tamen virus non tam citum, nec noxium, quin subligata ictui bona theriaca homo brevi revalescat. Videtur hic navigiorum genus mirabile et periculosum: Teradae vocantur, quibus merces e Sinu Persico huc advehuntur, quippe qui ne clavum ferreum, immo ferri prorsus nihil habent. Sunt autem tabulatis tenuibus iuncta, acu et crasso filo consuta funiculisque ligata atque in loco picis interposito minuto stramine arundinibusque per transversum compacta ita, ut necessario aquae plurimum attrahant et non sine periculo iisdem navigari possit. Apportantur vero eiusmodi teradis e Barein et Ormuz ceterisque Persici Maris insulis diversae merces Indicae, margaritae, gemmae, pennae ardearum et gruum, item bombycis telae Indicae et omnis generis aromatum ingens copia, quae flumine Babyloniam, et per desertum magnum Beriara 40 dies Hierapolim devecta per totum Sultani imperium aliasque finitimas terras divenduntur.

5 Terra ipsa frumento, oryza, legumine palmisque abundat. Et quamvis mare hoc saevissimis ventorum procellarumque tempestatibus subiectum, tum etiam quam plurimis et maximis piraticis latronibus admodum infame sit (insuper quod ut dixi), navigiis illis filo connexis, item nautis usum cylindri omnino nescientibus non sine periculo vitae navigandum sit, attamen omni fere anni tempore cuiusvis terrae mercatoribus traicientibus patet. Auri sacra fames enim quid non mortalia cogit pectora, et vere impiger extremos currit mercator ad Indos per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes. Sane non multo antequam nos Basoram veneramus, duae naves diversis vicibus insula Ormuz exeuntes, altera, cui 200 homines, item auri variarumque mercium maximi valoris ingens quantitas inerat, naufragio periit, altera a piratis expoliata funditus est et vacua Basoram venit interfectis partim et vulneratis telisque confossis hominibus, qui eam contra vim et insultus latronum piratarum defendere conati sunt. Inter quos Gallus unus erat Joan Kokin, qui fortiter dimicando datis et acceptis ultro citroque pugnis, tandem natando se salvans plurimam corporis sui partem sauciam vulneribusque inflictam pro quaestu reportaverat. Passa quidem protinus recomperta, Sangiaccum unum cum militia ad insequendos latrones ablegavit, qui exploratos aliquos fudit, quorum capita excoriata moenibus affixa sunt. Basorae 40 dies commorari necesse erat, et quia Sinus Persicus, ut dixi, a fronte erat, operae pretium duxi supra dictis navibus in Dei nomine insulam Ormuz adnavigare, quae a Basora 900 milliaria Italica distat sub ostium Persici Maris a Lusitanis annos ante plurimos subacta, et hoc tempore, quemadmodum omnis ora Indiae maritima, Philippi Regis Hispaniarum est.

6 Cum vero ad 26 diem Maii binis navigiis prope villam Syrogus flumine constituti reliquarum teradarum, quae Basorae nondum expeditae erant, adventum exspectavimus, quibuscum una euntes iter nobis eo securius conficiendum foret, accidit die altera, ut exorto turbine grandissimo, qui pulverem terrae excitans in sublimes auras spargit, quo solis lumen obscurat tanto, ut diem caliginosum reddat omnibusque prospectibus officiat (quemadmodum et Babylone saepius evenire solet) itaque magnitudine venti solutae ancorae navesque ad invicem impulsae sic colliderentur, ut iamiam in partes scindendae viderentur. Certo ambo timoni vel rectores, item una bombardam grandior lateri navis affixa et aliquot tabulae magno cum fragore detergebantur nosque maxima cum difficultate non sine periculo vitae naves sustinimus, quousque venti maioris impetus aliquantulum subsisteret; ubi secundo Venetus ille Georgius operam maximam praestitit et, quod tum salvi evasimus, in rei veritate ipsi soli debemus. Hic etiam optime usum navium harum consutarum expertus sum, quae si clavis ferreis confectae fuissent, sine dubio a tantis concussibus dissolutae fuissent, quod ita funiculi laxabantur paululum et navium latera, ubi collidebantur, ad spatium palmae quasi stringebantur; adde quod etiam in hoc reliquis praestant, ut si quando earum tabulae vitium faciant, confestim interposito ligno optime filis crassioribus id reficiant, quod ferreis clavis nequaquam fieri potest. Est res profecto miranda huius modi navigiis mare tam procellosum superari posse, quod nisi ipse conficere ea vidissem, haud credidissem.

7 Vidi quidem in confiniis Croatiae, Sclavoniae et Hungariae aliud genus navicularum corio consutarum, quibus praedarii milites Hayduki et Martolosi quando nimirum incursionem clandestinam et depraedationem villae cuiusdam instituere, ad traiciendum Colapim, Dravum et Muravam fluvios uti solent. Verum eae non ad ferenda onera, sed solummodo ad portandos paucos homines adaptari possunt; conficitur enim e corio bovino forma navis, quae quinque vel sex homines capiat; ea super ligneamenta ad id accommodata distenditur ac ita flumen permeant. Quo facto complicatas naves coriaceas deportant,



ligneamenta urunt, ne hosti insequenti usui esse possint, et ad quem libet traiectum nova ligneamenta apparant. Quo genere navicularum Caesar quondam in Hispania milites Sicorim flumen transfretabat, quarum carinae, ut ipse memorat, et statumina ex levi materia fiebant, reliquum corpus navium viminibus contextum coriis integebatur.

8 Sed redeundo ad propositum, 3 die Iunii septem teradis fluminis ostium, quod meridiem versus 50 fere milliaria Italica ab urbe distat, propter ventum contrarium et aquae decrescentis defectum vix penetravimus. Arabes locum hunc Maydan Aly vocant atque in eo campum olim latissimum fuisse, ubi cameli et armenta Aly, pseudoprophetae sui, pascebant, pro certo affirmant Deumque post mortem prophetae fluminis aquam superinduxisse, ne vestigia scilicet sancta ab indignae posteritatis pedibus contaminarentur. Animadverti hic, quod Oceanus Indicus (qui Sinum Persicum hisce partibus efficit), cum alternis sex horis semper reciprocet, etiam amnis huius fluxum crescere et decrescere faciat ita, ut cursum aquae citra Basoram ad iter trium dierum retrorsum cogat illisque horis tam cito contra, quam versa vice secundum flumen navigari possit. Ab ostio 200 milliaria Italica traiectus est ad insulam Kargi, quo naves aquandi causa appellunt. Hic primum vidi arborem in India frequentem, cui superne in ramis quam plurimae radices crescunt, quae paulatim ad terram decrescentes de novo singulos truncos efficiunt, atque ita una arbor pluribus truncis sustentata videtur. De insula praedicta iterum traicitur ad continentem et semper a laeva montana Persiae apparent, occurrentibus insulis quam plurimis. Quarum Lar et Furfur, quod ex illa Nikeloti, ex hac Notaki piratae praetereuntes naves maxime infestari solent, praecipue notantur. Hos piratas artis iaculatoriae peritissimos esse dicunt, ut qui singuli trina et quaterna tela simul iaciant. Quapropter et tanto impetu naves quandoque adoriuntur, ut tela pluire videantur, sclopetis tamen quam plurimum arcentur. Teradis enim Ormuzo exeuntibus Capitaneus biremem unam tutelae causa plerumque adiungit. Hi ante biennium Lusitanos milites dolo circumventos prope Cheloum 400 interfecerunt; Habent Lusitani hoc proprium, quod classe pugnando plurimum valent, verum aperto campo, contra equites praesertim, prorsus nihil, quia promiscue et non servato ordine pugnantes plerumque caeduntur, sicuti hoc conflictu contigit. Et fuit haec maxima strages, quam, inde usque in India militant, Lusitani experti sunt, ubi flos militum nobilium praecipue interiit. Hanc notam et Caesar quondam in militibus Romanis arguit, qui cum Lusitanis inveterati genere quondam pugnae assuefacti, ut magno primo impetu praecurrerent, audacter locum caperent, ordines suos non magnopere servarent, rari dispersique pugnarent, si premerentur, pedem referre et loco excedere non turpe existimarent.

9 Videtur et Abuschar castrum Persicum ad litus maris, quod Schac Tamash exstruxit. Barein vero insula, ubi margaritae orientales leguntur pretiosissimae, et quibus prae ceteris omnibus palma tribuitur, ex altero sinus latere Arabiae Felici proxima est. Quae mense Iunio et Iulio singulis diebus non plus una hora reciprocante nimirum mari piscantur, ubi homo, cui sacculus collo appendet naribus et auribus inunctis ex navicula in mare ad fundum usque fune demissus alligata ad pedem petra, quo directe citius fundum petat, longo intervallo assuetus ad hoc sub aqua latitans conchas et reptilia quaedam collecta in auras defert, e quibus fissis et ruptis uniones et margaritae illae proferuntur. Lusitani ibidem fortalitium habent, et Capitaneus Ormusensis quotannis biremem eo ablegat cum hominibus, quibus cura colligendi margaritas pro Rege Hispaniarum demandata est.

10 12 Iunii insulam Bassido appulimus, quae arida est et continens habitatores quosdam, qui pisce aluntur (hanc prope anno 87 tres biremes tempestate perierunt) atque inde triduum post in Ormuz advecti sumus. Haec olim Gerum dicebatur, cui ab Armuza civitate nomen remansit 30 milliaria Italica ambitus circuitu patens. Insula est calidissima, aridissima et sterilissima, in qua nec salientis aquae fontes limpidi nec subterraneorum scaturiginum putei tumentes reperiuntur. Et antiquis temporibus imbrium collectorum aquae bibebantur, nunc cisternae obseratae ad necessitatis hostilis tempus reservantur, et aquam dulcem Persia (cuius promontorium Gomaron dictum ad 3 milliaria Germanica est septentrioni oppositum, ubi et Lusitani castellum habent) insulae subministrat naviculis a Capitaneo ad 70 constitutis praeter privatas, quae aquam portant; aestivo enim tempore numquam, hiberno raro pluviam videt. Propterea in ea nec gramen nec herba nec viretum nec frutex nec arbor ulla nascitur, in qua nec seges nec messis umquam visa est, in summa quae praeter sal et saxa nihil procreat, ut non immerito Insula Salis nominari possit, cum non solum aqua dispersa, sed et sudor hominis in sal concreseat, immo montes salis, nive candidiores in ea videantur, sal etiam muris accrescens calcem consumat et lapides quandoque excidere faciat. Quod idem fit Damiate in Aegypto. Flagrantia solis in hac insula homini vix supportabilis est et tanta, ut dolor testiculorum, quem <andrum> medici vocant, cunctis peculiaris sit; ovi tamen remedio sandali albi subveniunt. Sunt autem domorum aedificia sine contignatione quemadmodum in Aegypto tectaque sunt rudere aut pavimentis, quae teraza vocant, quibus sub dio noctem transigunt homines; estque nocturnus aer



ita calidus, ut puerum flabello per integram noctem interdum ventulum facere necesse sit. Multi aqua frigida insidentes, in eaque prandentes et cenantes, diem ita consumunt. Super pavimenta domorum constituta sunt ventilabra, quae cataventi dicuntur, ita, ut quaevis levis aura, a quavis mundi parte spirans, superne per impluvium in domos descendat, sub quibus homines interdum propter nimium solis aestum domi latentes vacant. Negotia et fora vesperi et noctu plerumque tractantur, nam maior aestas a meridie incipiens ad vesperam usque durat, et mirum est, quod unus tantum ventus seryn vocatus, calidissime flans aquam omnem adeo refrigeret, ut potu iucundissima sit, quam ceteri venti omnes licet frigide quodammodo spirantes calidam reddunt. Aqua et aer huius insulae bonissimus est et saluberrimus. Et hic primum usus umbraculorum, quae sombrero appellantur, qui per totam Indiam communis, incipit. Hic, qui sunt ditiores, habent nigros illos servos, quos Caffres appellant, plurimos; unus, qui gladium, alter, qui scutum, tertius, qui hastam vel alia arma, quartus, qui umbraculum ferat; ac ita stipati ambulant induti caligis largioribus ad talos usque, quem morem Africanum esse dicunt.

11 Est vero insula haec celebris maxime commercio Indorum et insularum Oceani Indici, Persarum, Arabum, Armenorum, Lusitanorum et Venetorum quorundam advehentium ac deportantium omnia genera gemmarum, lapidum pretiosorum et margaritarum, ambari, musci, zibeti, aromatum, peristromatum, sericae et purpureae vestis, bombycis et telae Indicae, oryzae, tritici, hordei, ciborum quoque leguminum, frugum variarum maximam copiam. Adveniunt etiam quotannis ex Persia equi quam plurimi, qui magno pretio a mercatoribus coempti et navibus Indiam transmissi maiori lucro venduntur. Raros enim India equos eosque parvos mittit, ideoque ibidem plurimum valent. Quare et naves ultra viginti equos ferentes absque solutione vectigalium de omnibus reliquis mercibus libere navigare possunt.

12 Praeterea insulae, quotquot sunt in Mari Persico, parent Regi Ormusensi, qui Vasallus Regis Lusitanorum est; et Capitaneus eundem debito honore prosequi in mandatis habet. Rex ipse quemadmodum et insularum accolae Persae sunt tam fide quam lingua (cuius regni terrae in continenti iuxta litus Arabicum promontorio Cabo de Rozalgate dicto terminantur, quod ab Ormuzo plus trecentis milliariibus Italicis distat) relictique sunt illi a Lusitanorum Rege annui reditus, quibus honeste se sustentare aulamque nutrire potest. Qui post exosculatas a me sibi manus, cum aliquantum temporis Byzanzii me confecisse intellexisset, pauca quaedam de statu et potentia Turcarum percunctatus precibus et votis victoriam Persiae a diis immortalibus exposcebat. Vidi Regem hunc interdum diebus festis, quando videlicet Capitaneus cum nobilibus se exercere solebat, ludis equestribus interesse. Quem Capitaneus e palatio suo ad aream comitabatur. Ibant primo tympana et instrumenta bellica, inde aulici Regis cum Lusitanis quibusdam equitabant, sequebatur Elephas adornatus vexillis et campanulis super imposita lectica, cui Regis filius natu minimus insidebat, inde iterum aulici quidam, post hos supremus Vezir seu Gubernator, quem Guazil appellant, deinde Rex et Capitaneus, ultimo sex filii Regis cum nobilibus Lusitanis et ministris regiis, cingentes agmen ad utrumque latus milites sclopetarii. Imprimis autem vestitus huius Regis mixtus ridendus erat: nam caput tulipano cinctum, et vestis interior Mahometana, super hanc thorax ex albo domasco, auro assutus, qui nobis koller dicitur, caligae largae ad plantam pedis suo more, calcei albi punctati nostro more et gladius deauratus Hispanicus. Quem habitum in gratiam Lusitanorum gestare solet, ut qui eorum amicus singularis sit. Suis vero ob id non parum suspectus est, qui etiam propriam filiam suam Lusitano Baroni in uxorem tradiderit. Cuius amor coniugalis in maritum tantus fuit, cum ille ex India Ormuzum adnavigaret dotis suae requirendi causa et haec discessum eius tam aegre ferret, ut exorta subita consternatione animi prae maerore illico animam expiraverit. Cuius funus regio et digno sibi honore tractatum est comitante Prorege Indiae et universa nobilitate Lusitana.

13 Quod vero Lusitanorum Rex hunc Regem in statu suo permanere, item suas Moscheas et sacerdotes palam suo more clamitantes permittit, id fit propter Arabum Persarumque commercia magna, quae sine hoc procul dubio cessarent (atque ita annui reditus Lusitaniae Regis ex hoc regno, qui ad 300000 ducatorum se extendunt, imminuerentur), quapropter commercialis administratio iustitiae omnis penes Regem hunc est, praesentibus tamen Capitanei hominibus ad id deputatis. Cuius homini mercaturam hic exercere liberum est excepto Turcis, quibus omnino insulam hanc intrare vetitum; quod si quis forte clanculum Arabici mercatoris nomine, ut factum est, sese subduxerit, ubi exploratus fuerit, illico vinctus compedibus Goam transmittitur.

14 Paulo ante nostrum adventum resignaverat Capitaneatum Don Juan Gomez de Sylva, eique successit Don Juan Pereira, Conde de Fiera, qui Capitaneus Generalis et Gubernator regni Ormusensis dicitur. Cuius officii, sicut et aliorum Regis Philippi officialium, statutum tempus sunt quattuor anni, quibus exactis, officia mutantur. Porro duo sunt, quae castrum Ormusense, praeter quod bellicis machinis, cisternis et victualis optime provisum est, magis fortificant: insula sicca et sine aqua, in qua numerosus exercitus se



sustentare non potest, item mare tribus partibus importuosum, quarto enim latere solum portum admittit, in cuius faucibus fortalitium haeret. Tentarunt quidem Turcae expeditionem Ormusensem classemque 26 triremium e Sinu Arabico miserunt, quae a Lusitanis ita excepta est, ut, quas naves tormentorum pili non prostraverint, tempestas maris absorberit. Nulla enim earum umquam domum reversa est. Prope Melindi etiam in Mombaza Aethiopiae novissime earundem triremium Turcicarum de Sues quattuor cum una biremi Lusitani ceperunt. Cum enim praepositus illorum Generalis Emir Aly Begh, natione Siculus, loca illa pervagatus magnam quantitatem auri, ambari et eboris coegisset ac solum venti secundi adventum expectans in praecinctu discessus esset, classis Lusitana in tempore superveniens ipsum cum suis triremibus et omni apparatu Indiam abduxit. Eratque haec tam felix et facilis praeda, quae umquam audita est. Turcae enim paulo ante cum anthropophagis, gente Symba dictis, pugnaverant navesque inanes a defensoribus stabant, quas Lusitani sine multo sanguine ceperunt subito. Quo facto Turcae nolentes volentes Lusitanis sese tradere coacti sunt. A fronte enim mare et Lusitanos, a tergo Symbas habebant, qui classem Lusitanam videntes eo maiori confidentia fugitivos expectabant; quocumque enim profugos apprehendere poterant <et> in conspectu securibus suis frustitatos cenae proximae reservandos in loca sua deportabant. Qua immanitate deterriti Turcae vitam in vinculis Lusitanorum servare potius quam in manibus Symbarum perdere maluerunt. Hac praeda miles quidam saccum ambari nactus, cuius pretii ignarus, quod amplius 6000 ducatis valebat, 200 talleris vendidit Ormusensi.

15 Aer calidissimus ad finem mensis Iulii usque invitum me detinuit; iam vero minus quam antehac umquam contentus fui. Cum enim tot naves ante oculos cernerem, quae brevi Indiam abiturae erant ad antipodes, ubi tam admirandae res et nostris partibus vix credibiles viderentur, qui praesertim alterum iam pedem in subliminio Indiae habere mihi videbar, non potui intermittere, quin eandem penitus intrarem. Itaque relicto itineris comite Domino Teufelio in Ormuz et mutato mercatoris in militis habitu, cum Don Francesco Masquarenas ultima Iulii fustam conscendi ac sequenti die prope insulam Larek extra os Persici Maris velificavimus. Octava die post ad promontorium Asaborum, quod Cabo de Monzadon appellant, venimus, de quo biduum post Soar civitatem et castrum Arabicum praeternavigantes 17 Augusti Mascatum intravimus. Quod castrum parvum in litore Arabiae Felicis est locus habens non incommodam aestate stationem. Duobus eminentibus promontoriis continetur, ubi naves Lusitanae et gentiles, quae Martio et Maio ex India adveniunt, ad finem Septembris usque stare solent. Maio enim hiems Indiae incipit et Augusto finitur, quo tempore mare navigari non potest. Distat Mascatum ab Ormuso 60 milliaria Lusitanica, quae léguas vocant sua lingua, id est leucas, et sunt nostris Germanicis paulo minora. A Turcis castrum hoc et, ut puto ab ipsomet Emir Aly Begh, de quo paulo superius dictum, bis destructum, iam vero a Lusitanis optime restauratum et munitum est.

16 Hic vidi vaccas piscium capitibus cum ossibus datylorum aqua decoctis pascere. Terra ad litus maris huius sterilis multum, montes nudi et asperrimi usque in Deviviz villam, ubi aquae dulcis et frigidissimae inter montes scaturientis magna copia, item palmarum, ficuum et aliorum fructuum quod satis est. Quibus relictis 26 Augusti Curiate et Calaiate, castra Arabica, attigimus atque inde ad promontorium Cabo Rozalgate, quod ex altera parte ad fretum Rubri Maris (il stretto de Meccha vel Aden dictum) vergit, penultima Augusti appulimus; atque hoc promontorio regnum Ormusense terminatur. Hic biremis una excubias agit propter triremes Turcicas de Sues, quae navibus Lusitanis e Mascato et Ormuzo Indiam petentibus intendere solent. Quod si quicquam certi de adventu harum explorata fuerit, subito fusta Indiam advolat, praemissa prius cymba cursoria Mascatum ad praecavendas et intertenendas naves usque ad adventum classis Indicae.

17 Et distat promontorium hoc ab Ormuso 100 leucas, a quo per mare altum Oceani Indici numerantur Goam 260 leuca, quo salvi et incolumes octava die septembris devenimus; et iter hoc 40 diebus confecimus. Erat navigatio haec non minus periculosa quam supra modum laboriosa, cum non tam triremes Turcarum e Sinu Arabico et insultus piratarum Malabarensium de Calecut quam ipsius spumantis oceani fremitus metuendi erant, siquidem eidem pelago nos eo tempore commisimus, quo annus finem hiemi in iis partibus et principium veri dat, ubi mare valde tempestuosum adhuc et cui nullae tum naves tuto se committere possunt. Sed causa festinationis nostrae erat certus rumor de classe Turcica, quam e Sues exisse iam atque in freto Aden constitutam esse dicebant. Quapropter Gubernator Ormusensis Capitaneum meum cum novis his Indiam ablegavit, quo classem Lusitanam in auxilium navibus onerariis accerseret. Erat is Capitaneus meus Don Francisco Masquarenas Baro Lusitanus et miles perquam strenuus, qui novissime duabus triremibus duodecim Malabarensium triremium seu galeotarum impetum fortissime sustinuit integrum diem, donec classis Lusitana in auxilium venit omnesque illas galeotas cepit. Nos ita ex estate Arabiae in ver Indiae transgressi sumus. India enim tamquam terra horizonti nostro opposita mutata aeris et



caeli qualitate hos menses anni brumales habet, qui nobis aestivi sunt, et e contra. Erat quidem navis nostra lateri utrique telo crassior et multo super inducto bitumine in altum distensa non tamen irrumpentis oceani fluctus cohibere poterat. Quapropter cum biremes Indicae non per integrum coopertae sint, sicuti nostratium, quattuor locis sentinam evacuare necesse erat. Accidentibus etiam pluviis largioribus bene madidi Goam intravimus. Pisciculos alit mare hoc alatos, qui super aquas longo spatio volant et saepe, noctu plerumque, naves involant, sicut autem alii pisces grandiores, qui hos insectantur, quos ita fugiunt et volando se tam salvare quaerunt.

18 Goa insula est 10 leucas circumferens, amoena semper et multis bonis fructibus abundans, villas continens et hortos et lucus (palmar dictos), quos rivuli quidam irrigant delectabiles. Est sub ditione Regis Dialcan vel Hidal Can, morus, cuius sedes regia Bisapor octo dierum itinere a mari in continente distat. Quocum pacem habent Lusitani. Civitas ipsa eodem nomine dicta, Lusitanorum Indica metropolis est, ubi Prorex cum corte regia residet et ministris regiis. In interiori parte insulae posita est, quam fluvius a continente separat, praemunit item munitiones quaedam, e quibus passus hostibus de terra denegatur. Ecclesias et domos sanctas amplas habet. Portorium hic maximum est omnis generis mercaturae, quae ibidem exercetur. Et galeones, quorum quotannis mense septembri quinque vel sex e Lusitania appellant, ad quinquagesimum diem ibi stantes Cochinum abeunt, ubi ad 20 diem Ianuarii remorati et expediti Lusitaniam revertuntur. Hi galeones vinum, oleum, pannum scarlatum, holosericum, cartam et hispanicos talleres, quos reales vocant, adportant. Redeuntes vero omnium aromatum, auri, gemmarum, margaritarum aliarumque pretiosissimarum mercium Indicarum magnum thesaurum quotannis Lusitaniam advehunt. Sunt quidam mercatores praedivites, qui contractatores dicuntur; hi vectigalia e singulis navibus ipsimet exigunt et Regi Philippo pro vectigali singulae navis 60000 ducatos solvunt. Idem etiam contractum piperis a Rege habent. Quid autem solvant, mihi non constat.

19 In hac insula Goa et plurimis in locis Indiae ficus, qui in Aegypto et Arabia musa vocatur, per totum anni tempus recentes habentur, item nux magna kokosh, cuius arbor palmar Lusitanis, terrigenis vero maro (et fructus eius narell) appellatur, palmae persimilis, nec est in toto mundo arbor, quae huic bonitate comparari possit, cum in ea ne minimum quiddam sit, quod non hominibus usui esse possit. De solo suo ligno absque additione alterius integra navis conficitur cum funibus et velis omnibusque necessariis pertinentiis suis, et fructu eius, qui sunt nuces illae, oneratur. De quibus et saccarum jagra vocatum, vinum, acetum, oleum et lac faciunt. Vinum conficitur ex liquore, qui desuperne ex arbore distillat, dulcissimo, quem sura vocant. Qui matutino et serotino tempore in vasa collectus ita venditur; estque potus ad restinguendam sitim confertissimus, et si igne per alembicum distillatur, iniectis demum uvis siccis, quae ex Persia Ormusum et inde Indiam adveniunt, efficitur vinum probatissimum (vin de passa), cuius in India, praesertim ubi Christiani vel Mori degunt, maxima copia venditur. E vino acetum fit, lac e nucibus recentibus, quo oryzam coquunt, oleum e siccis exprimitur, quod non solum ad luminaria sed plebeiis etiam ad conficiendum cibum usui est; huiusque magna copia in India venditur. India enim nec uvam nec olivam neque ullos eiusmodi fructus, ut sunt in Europa neque peculiare neque multivarios et optimos generat. De ligno, ut dixi, conficiuntur navigia et trabes ad sustinenda aedificia, ex cortice funes, qui in aqua salsa plus durant, quam qui ex canabo et ramis lectis; et sporticas pro mercibus e foliis minutim descissis et textis conficiuntur, vela vel storeae subtilissimae e cortice nucis exteriori fit, stупpa perfectissima ad obturandas navium rimas vel fissuras, interior ad vasa servit bibalia, carbones e radice aurificibus praestant. In summa nihil omnino de hac arbore perditur, cuius nux, antequam matura durescit, plena est aquae dulcissimae, quam lanta vocant, ad propellendam sitim, quemadmodum illa ex arbore ipsa collecta, perfectissima ita, ut una harum ad id sufficiat; quae aqua postmodum in nucem concrevit. Et haec est nux illa Indica, quae a nostris e Constantinopoli in terram Christianorum defertur, quam plerique muscatum in se generare credunt, cum illas nuces solae Insulae de Bandan extra Indiam prope Moluccas (quae cariofilum) perferunt, haec autem in universa India, quemadmodum in Aegypto et Arabia palma, frequentissima sit. Et gentiles quibusdam in locis elapsa hieme, quando videlicet aperiuntur portus maris, quos hiemis tempus arena repletos et clausos detinuerat, solemne festum cum ea celebrare solent proicientes illam deauratam et variis coloribus depictam in mare additis multis caeremoniis et precationibus, quibus mare etiamnum de continuis maximisque procellis, turbinibus et tempestatibus bulliens placari quietumque ac tranquillum reddi sibi persuadent.

20 Goae praeter spem et expectationem biremem operi, cui mense Augusto Bengaliam eundem erat, sed nescio qua sorte mea huc usque tardaverat. Quapropter, etsi mihi a Capitaneo Ormusensi litterae quaedam erant commendaticiae datae, eas tamen brevitatis tempore impeditus reddere non potui, sed relictas in manibus Ferdinandi Cron, procuratoris contractus piperini, viri plurimum de me meriti, eius ope 11



Septembris navim conscendi atque 18 eiusdem in Coilan veni, castrum Lusitanum cum municipio. In terris Regis de Coilan pagani fuit antiquis temporibus emporium celebre, cuius Benjamin Tudelensis in suo itineralio ante annos 400 meminit. Nunc locus est parvi negotii, cuius piper quotannis ad onerandam unam navem de Portugal non sufficit. Vidi hic cymbas tezilingas dictas, quibus homines e navibus in mari constitutis ad terram deportantur, ex una sola trabe excavatas superneque tam angustas et artas, quod homo non nisi obliquis pedibus iisdem insidere potest. De Coilan ad promontorium, quod Cabo de Comerici dicitur, 25 leucas veni et huc usque versus austrum navigavimus. Quod promontorium a Goa 200 leucas distat. Dehinc Bengalam navigaturi proras navium aquilonem versus dirigere oportet atque hoc promontorio litus Indicum versus meridiem terminatur, quod Costa de India appellant.

21 Universa autem hac ora maritima et ultra promontorium usque ad vadosa, quae Los bassos de Chilao vocant, ad 200 léguas fere gentes illae ad Christianae religionis communionem conciliatae sunt multisque locis Patres de Sancto Paulo ecclesias et monasteria tenent. Mare, quod est a promontorio inter vadosa praedicta de Chilao et insulam Seylan, margaritarum piscationem vocant. Quae piscatio quotannis mense Martio vel Aprile incipiens ad 50 dies durat; neque semper uno eodemque loco piscatur, sed singulis annis loca mutantur. Ubi tempus piscationis appropinquat, mittuntur boni natatores, qui in fundo maris explorant, ubi maior copia sit ostrearum; atque inde confestim in litore proxime fabricantur casae, stramineae videlicet, et affigunt tentoria omnibus ad id tempus victu necessariis praeventibus. Piscatores omnes sunt Christiani eius terrae, et cuius piscare liberum solvendo primum censum consuetum regi de Portugal et ecclesiis primum Jesuitarum in praedicta ora constitutis. Tres vel quattuor biremes armatae piscatores eo tempore a piratarum iniuriis defendunt. Ordinem in piscando tenent, quod quattuor, quinque vel plures naviculae iunctim exeunt impositis singulis septem vel octo hominibus; et harum quotidie quinquaginta et plures exeunt atque a 15 usque in 18 cubitus aquae ancoras iaciunt; nam totus ille tractus non est altioris profunditatis. Post, ubi ancoris haesere, immittunt fune alligatum saxum, iuxta quem homo inunctis oleo auribus et naso atque collo appenso sacco vel sporta fundum petit, repletoque conchis et ostreis illis quam citissime potest sacco, tangendo fortiter funem signum sociis dat, qui illum festinanter extrahunt; et sic ab uno ad alium, donec navicula ostreis refertur. Ubi ad vesperum in villam reversi, quam plurimos series ostrearum distinctos secundum litus dispositos cernis, qui, donec dies piscationis finiuntur, intacti permanent. Apertis postmodum et fassis a qualibet societate suis ostrearum cumulis, margaritis et unionibus per homines peritos Chitin dictos pretium constituitur secundum quantitatem et qualitatem earum. Quas in quattuor species discernunt facto ad selectionem in cupreis vasculis foraminibus, per quae cribrantur; et quae primae et rotundae sunt laya de Portugal, secunda laya de Bengala, tertia laya de Canará et regni Bisnagar, quarta et minima laya de Cambaia vocant; paucisque diebus universae exemuntur a mercatoribus, qui e diversis locis ad id tempus eo concurrunt.

22 Insula est in hoc mari Manar dicta, Christianis habitata, qui prius erant gentiles, cum fortalio parvo Lusitanorum insulae Seylan opposito et ab ea parvo et angusto canali separato, qui canalus non nisi navigiis minoribus iisque vacuis et exoneratis et diebus novi et plenilunii permeari potest. Exonerantur autem merces e navigiis in minores naviculas, tongas appellatas, quae vadosa sine periculo permeant. Biremes inanes depositis etiam malis et antennis transire necesse est, idque fit navigando e Bengala vel ex oriente Indiam versus. Qui vero ex India Bengalam et orientem versus navigant prope oram, quam Costam de Chiaramandel vocant, eos vadosa illa de Chilao, quae sunt inter insulam Manar et continentem terram, navigiis videlicet minoribus transire necesse est; nam grandiores naves omnes extra Seylan alterum mare petunt et vadosis hisce avvicinare non possunt. Ubi similiter merces naviculis tezampana vocatis imponuntur, quae e propinquis locis Dutukuri et Periapastan cum hominibus pilotis conductis vada secure permeant. Necesse est autem in Periapastan commodum tempus expectare, quo iunctim abeunt et navigando 10 vel 12 léguas ad vadosa perveniunt. Ubi si ventus fortior flaverit, qui undas marinas excitet maiores, et navigia vel biremes canale aberraverint, arenis illisae dissolvuntur, cum ibidem nec spatium temporis nec locus salvandi sit. Tezampane vero, quia cum fundo plano sint, sine periculo transeunt. Redeutes, ut dixi, canalem de Seylan transeunt, cuius fundum, quia limosum, licet navigia tangant, sine damno ullo evadunt. Causa autem, quod abeuntes idem iter facere non possunt, est, quod venti ibidem eo tempore spirantes tantam siccitatem aquarum efficiant, ut nullo modo praedictum canalem de Seylan transmeari possibile sit. Alia navigatio magnarum navium est extra insulam Seylan per altum mare, qua nulla vada attingunt.

23 Est autem Seylan magna insula et Cypro multo maior, quam Lusitani quidam falso Taprobanen esse opinantur, in qua occidentem versus, ubi Indiam spectat, fortalium Lusitanorum Colombo dictum et portum liberum habet. Rex legitimus huius insulae, privatus regno, Christianus est, cum Lusitanis degit et a Rege Lusitaniae sustentatur. Erant olim Regi pagano Madoni vocato duo filii Barbinas et Ragi. Qui minor



conciliatis sibi militum animis in despectum patris et fratris solus sibi regnum usurpavit, quo in hodiernum diem tyrannice potitur et Lusitanis inimicissimus est. Ceterum de bonitate huius insulae multa essent dicenda, quae brevitatis studio omitto; et sufficiat scire eam cinnamomum fortissimum, piper, ginger variisque fructus, herbas et flores producere, montana rubinos, granatos, berillos, opalum et lapidem, qui oculus ceti dicitur, et alias gemmas procreare, mare illud margaritis scatere. Nascitur et in ea radix, quam pax de cobra vocant, antidotum praesentissimum contra venenum, quo mus Pharaonis quirpele et mongos dictus contra regulum serpentem dimicaturus lambendo munitur; qui et primus medicinam hanc hominibus manifestavit. Tempus colligendi cinnamomum est mense Martio et Aprile, ubi circumcisa superiori et inferiori parte internodiorum fissoque cortice detrahuntur manibus. Qui sole siccatus, ita ut videmus, incurvatur, neque ob id arbor, quae tenerrima, humilis et lauro persimilis, exarescit; immo quotannis corticem redintegrat et, qui singulis annis detrahitur, optimus, nam duorum vel trium annorum crassus et minoris potentiae est.

24 Sed ne longius a proposito aberrem: 23 die Septembris superatis feliciter vadosis illis de Chilao, sequenti die insulam Nerendiva appulimus, quam Ilha das Vaccas Lusitani vocant, qui castellum ibi tenent. Insula parva et amoena Christianis et gentilibus habitata, abundans re pecuaria, quod vili pretio valent; nam quattuor haedos larino uno, quinque gallinas pingues uno, iuvenecam duobus emunt. Larinus argenteus stilus duplicatus est, cui literae quaedam incussae sunt, moneta currens in tota India, quemadmodum talleri Hispanici; cuduntur etiam in Babylonia et Basora, quos mercatores Indiam petitori immutant, et quinque eorum tallerum valent. Vicesima quinta noctu in Negapatan appulimus, civitatem magnam 60 léguas a promontorio Comeri distantem, Christianis, gentilibus et Moris habitatam; quippe secta haec per viam commerciorum quam plurimas Indiae partes occupavit; dico Moros, quia Mahometani per totam Indiam Mori, quemadmodum Christiani omnes, sive Galli sive Germani sive Itali sint, Frangi nuncupantur. Sic et Turcae omnes in specie Rumi vocantur; quod agnomen a Romanis, uti etiam Frangi a Francis tempore Godefredi, restasse arbitrator. Regem habet Negapatan gentilem Naik dictum, qui itinere unius diei a mari residet et Lusitanos sine tamen fortalio hic habitare permittit. Quos annos ante octo multis novis impositionibus premebat, idque consilio apostatae Lusitani cuiusdam, qui veniens cum militia Regis destruebat et spoliabat templa et domos Christianorum, qui praescientes adventum eius, cum familiis et bonis mobilibusque plerisque conscensis navibus in Manar Dutueri et vicina loca se receperere. Videns postea Rex annuos redditus imminutos, litteris denuo Lusitanos revocat pacemque et fidem dat excusando se consilio pravo seductum se fuisse. Qui tandem restauratis sibi a Rege templis et domibus reversi iam bona pace ibi vivunt, capto ex decreto Proregis Indiae renegato illo et merito supplicio affecto; estque terra nunc optimae annonae abundans, oryza, fructibus, bombyce et re pecuaria.

25 Hic Rex betlam et arekam, sua non ut alii Indi omnes calce et pulverisatis ostrearum corticibus mixtam, sed pro calce margaritarum pulvere conditam masticare solet; et quidem pulvis hic omnibus suis ferculis, quemadmodum Turcarum Regi muscus, inicitur. Est autem areka fructus muscato persimilis sed amarus, quem comedunt Indi cum foliis herbae bethlae dictae, hederiae simili, quibus addunt calcem ex ostrearum ossibus factam. Quod masticando dentes nigros et sputum sanguineum efficit et ad stomachum proficere dicunt, sed, ut arbitrator ego, plus ad incitandam luxuriam facere, siquidem herba calidissima est. Incredibilis autem summa pecuniae quotidie in hoc cibo consumitur, cum in universum tam plebeii, quam potentiores eo vescantur. De quo etiam annuos redditus habent maximos. Et moris est, quidvis negotii habeas apud potentiores, ut te cum areka et betlae foliis quibusdam expeditum dimittant.

26 Hic vidi aliquot sacella seu fana ethnicorum cum idolis suis aeneis, lapideis et fictilibus, cum incensis lampadibus et sacrificiis eius, quorum unum intrare licuit; non tamen in penetralia ad locum sanctum, quod senex custos nec prece nec pretio consentire volebat. Qui sedens scribebat cum stilo aeneo super papyrus seu folium arboris dhalii legem suam, assistentibus sibi ad latus pueris aliquot, quos instruebat. Vidi hunc morem antiquum scribendi et aliis in locis Indiae, praesertim in toto regno Malabar. Praeterea Indi gentiles quidam magna veneratione colunt vaccam nec eam occidere licitum est ulli ex statuto Prophetarum sui, qui liberatus quondam e magno discrimine aquarum beneficio vaccae salvatus est. Addunt praeterea rationem, quod vacca homini praeter cetera animalia maxime utilis est. Ideo plerumque ante fana sua vaccae simulacrum positum habent. Vidi et Capitaneum supremum huius loci paganum ambulans discalceatum veste alba lanea amictum, cui anteibant tres homines nudos acinaces portantes; post hos, qui umbraculum gerebat, sub quo herus ibat; sequebatur turba; ultimo vas aquae et lectica portabatur, si quando taedium eundi cepit, in eam se reiciat. Vidi item cremare mortuos. Est autem consuetudo huic genti bestialis, ut mortuo marito uxor viva cum ipso cremetur. Quae si ditior fuerit, capillis passis, ornata auro et gemmis amictaque veste meliori elephanto vel lectica cum cantibus et musicis dextra manu sagittam, sinistra



speculum tenens per civitatem comitata parentibus, amicis et multo populo non aliter, ac si hymenaeis celebratura, producat. Ubi ventum est extra civitatem ad locum destinatum huic tragoediae, in quo strues lignorum, sub quo cadaver, habens introitum, ab una parte ipsa est, turba seiuncta. Cum duabus vel tribus mulieribus propinquis ad flumen lavatum it, quo peccata omnia abluit donans ornatum et gemmas amicis suis. Panno flavo se involvit, inde cantans rogum accedit. Abiecto ab se panno oleo odorifero, quod illi mulier supra caput effundit, totum corpus inungit aniculis velum ante tenentibus, ne nuda conspiciatur. Quo peracto subito incensis lignis illa se cum caro suo marito dormitum iturum dicens rogum insilit proicientibus amicis ligna super eam, ut, antequam flamma ipsam enecet, a tantis percussibus lignorum eandem mori necesse sit. Confestim autem cantus et musica in tantum fletum et neniā inque tam lamentabiles voces et ululatus convertitur, quod vere tragoediam insignem aliquam actam esse ex fine cognoscere possis. Hunc morem antiquitus ea de causa institutum dicunt, quod mulieres eius terrae in maritos tam crudeles et impiae erant, ut quavis levi de causa veneno illos enecarent. Quo scelere patefacto haec lex sancita est, ut mortuo marito necessario mors uxoris sequeretur. Quo effectum est, ut vita salusque viri mulieribus aequae, immo magis curae sit quam propria. Non solum autem uxores, sed et concubinas omnes, quibuscum copulam carnalem habuerit homo, cremare solent; idque inter magnates. Alius mos est plebeiis, ubi cadaver mariti sedens constituitur in loco, quod uxor vincata amplectitur interimque murus ambos circumextruitur. Qui ubi ad collum mulieris effectus est, accedente a tergo homine, qui guttur mulieris cultello persequitur; qua mortua murus perficitur atque sic ambo ibidem sepulti permanent.

27 Vicesima septima Septembris relicto Negapatan mare altum sive sinum illum magnum Gangeticum intrantes et Bengalam 370 leucas traiciendo biduum post, qui erat dies Sancti Michaelis, terribilem tempestatem sustinimus atque inde per duodecim dies et noctes procellas, fulgura, tonitrus maximosque ventos et turbines continuos, quod non multum abfuit, ut me huius profectionis maxime paeniteret. Decima iam die, qua terra a conspectui nostro sese distraxerat, cum navis caliginosa et illa in nocte pleno velo curreret, forte fortuito Capitaneus noster, Christopho Cortes, ut plumbum, quo altitudo maris metitur, inicerent, imperabat. Quo facto profunditas 15 cubitorum inventa, subito ancorae iaciuntur. Mane, postquam illuxerat, nos terrae non amplius 100 passus vel paulo plus abesse conspeximus ac ita divinitus praemonitum Capitaneum de mittendo plumbo. Hoc enim si factum non fuisset, navis pleno cursu terram sic advolans in mille partes collisa esset. Et quidem ei terrae appulimus, cuius incolae anthropophagi, gens silvestris, homines captivos numquam ullo pretio dimittunt, sed mactatos quosdam in frusta, quos non comedunt ipsi, tigribus, quorum ibi magna copia, obiciunt, quosdam etiam vivos ipsis feris dilaniandos proponunt. Insulae enim quam plurimae sunt hoc mari Andeman dictae omnes anthropophagis habitatae. Sed Deus hoc periculo nos liberavit. Nam illico retractis ancoris, cum brevi Bengalam videre sperarem, iterum ab adversa tempestate correpti alioque detrusi praeter terram incognitam ventis vehementioribus marique tumultuante accedentibus etiam continuis et impetuosis pluviis maximo cum vitae discrimine triduum navigavimus, cum hinc inde saxa et scopuli in mari se erigentes certissimum mortis periculum minarentur. Causa huius tam caecae navigationis erat, quod habebamus pilotam vel ducem maris, qui horum litorum a promontorio Comeri ad Gangem vergentium omnino ignarus erat et non nisi eorum, quae ad Indum spectant, expertus erat. In quo Lusitanorum maximam temeritatem notare, immo detestari non satis potui, qui se ad tam periculosum iter homini eius navigandi rationis imperito committere atque ita in praesentissimum vitae periculum inducere non dubitarent. Et nescio, an magis accusandus sit ipse Capitaneus, qui talem hominem conduxerit, quam ipse homo nefarius, qui tam grave onus, cui minime sufficiens erat, suscipere ausus fuerit. Hoc perturbato animo suspensi et, quo terrarum loco versemur, incerti, ita vagantes facto iam novilunio, sol, cuius lucentes radios tam densae nubilorum et imbrum caligines ad octavum diem nobis intercluserant, paulatim refulgescere incipiens cunctis iam consternatis nobis et de continuis laboribus ac pluviis madefactis et defatigatis animum et spem non mediocrem reddidit. Nam pilota astrolabio altitudinem solis emensus non plus dimidio itineris inter Bengalam extra Gangem et regnum Pegu confecisse et prope insulam Teziudobre esse dicebat atque ita ad 70 léguas e via aberrasse. Qui error pilotae culpa factus postmodum duodeviginti diebus refici vix potuit, cum illas 70 léguas retro navigandum necesse erat exortis etiam ventis contrariis.

28 Postquam insulas binas Martini Alphonsi dictas a tergo reliquissimus, iuxta provinciam Regis Rekan, Lusitanorum hostis, ad cuius terras ob id applicare erat nefas, tot dies haerentes etiam victus, qui alias nimis facilis erat, et aqua nobis deesse coepit. Ubi mensae Caesaris Oratoris Constantinopolitani tot ferculis optime conditis refertae (qui satur nimium saepius fastidire perpulchre memor) non delicias illas ostrearum vel palamidarum, non aequoris nigri caviarium et botargas aut olivas Cretenses, non Alexandrinas illas gapparides ad excitandum appetitum edendi bibendive, sed panis biscocti, et aquae putridae sufficientiam ad



sedandum famem restinguendamque sitim haud vulgari desiderio aliquoties expetivi. Et si verum fateri licet, numquam maiori appetitu, affamato tantopere stomacho id paucillum oryzae, quo per integrum diem ventriculus sese contentare debuit, absumpsi. Numquam etiam tam strenue ieiunavi, ubi et aquae foetidae satietas non erat, quam hac navigatione. Cum enim praeter expectationem numerus convivarum multiplicaretur militibus, in quorum numero et ego comprehendebar (qui hoc ordine Indiam ingressus et egressus sum), perparce nimium depromebant ita, ut fere mensa nostra sine arte erat et dabantur singulis diebus uni personae duo cortices nucis Indicae aquae pleni, qui quartam partem unius mensurae nostrae continent, oryzae quantum duobus pugnis tenere possis. Panem nec semel nec bis coctum non degustavi. Quamvis enim 24 Octobris in Tezigan, portum magnum regni Bengala, devenissem, postquam 85 diebus de Ormuz ultra 980 leucas navigassem, non tamen ibi inveni id, quod magna spe mihi ipsi pollicebar. Terra enim illa, quam Christiani non continue incolunt, panem non habet, quemadmodum et in universa India apud gentiles, ubi non degunt Christiani vel Mori, panis non conficitur. Quapropter nolens volens oryzam Indorum more ad cremorem decoctum pro pane cum frustulo carnis vaccinae, si quando pro sorte modicum mihi contigisset, absumebam. Qui defectus tamen illico, ut Gangem intravi, manducando panem et gallinas (quarum octo et novem larino veneunt) ad saturitatem, et sacratam praeclari amnis aquam bibendo mirifice et gnaviter restitutus est.

29 Advolarat ad nos quadam die navicula viginti remorum e terra praedicta Rekan, quae nos sine dubio (ita uti etiam prope erat) perditos iudicabat (siquidem in hac periculosa navigatione huius tam vadiosi maris, ubi plurimis in locis saxa inopinato occurrunt, quotannis naves quaedam naufragio pereunt) nosque de longe vocando in portum suum invitabat. Sed cum ad datam fidem nostram sese nobis appropinquare recusaret, bombardarum pilis aliquot eam, unde venerat, compulimus aliamque naviculam, quae de Pegu veniens nobis sese adiunxerat, ad insequendos hostes confestim ablegavimus. Ast illi sibimet ipsis remigantes brevi se nostrorum oculis subdixerunt.

30 E praedicta insula Teziudobre in regnum Pegu non plus 40 leucis sunt, in quo multae res mirandae et insignes notantur. Qui Rex cum 1500000 hominum et 4000 elephantis in aciem prodit, inter quos album unum habent, quem ut monstrum naturae pro idolo colit eique victus ex auro praebetur. Ubi venationes elephantorum regales et stupendae, de quibus inferius plura. Tot et tam magna idola aurea argenteaque cum coronis gemmatis inaestimabilibus pretii, thesaurus regius innumeraeque alia mira visuntur. Quae terra pretiosissimis gemmis, rubinis, safiris, spinellis, auro argentoque scatet. Hic Rex certo anni tempore triumphum agit, idque, dicunt, in memoriam victoriae cuiusdam. Et primo equitum cohortes aliquot, post hos elephantorum turmae, inde sclopetarii veniunt, tum Rex et ultimo legiones militum hastatorum cum sclopetariis. Rex ipse stat supra currum triumphalem auro obductum, sedecim equis tractum pulcherrimis, estque altus et partim coopertus, quem viginti proceres sequuntur, quilibet funem manu tenens curru alligatum, quo everti non possit. Circa regem stant quattuor feminae concubinae. Hunc currum tota nobilitas et aulici circumdant. Haec, quia terrae Pegu tam vicini fuimus, extra propositum narrare volui.

31 E Pegu Malaccum, Taprobane, e Malacco Moluccos et regnum Sinarum, Lusitanis Tezina dictum, adnavigatur, quae cum Scytia et Tartaria illa magna orientali Catayo confinis est. Quae totam Indiam auro, serico, aliisque pretiosissimis mercibus opplet, quae sola mittit vasa illa murrina, quae porcellanas vocant. Unde et muscus, cynaprius, argentum vivum, camphora, cyprum, orichalcum, radices Chinicae, sericum et holosericum defertur, item panni depicti et damascini serici et alia eaque cuncta in maxima quantitate ita, ut non credam regnum in toto mundo maioris commercii esse. Rebarbarum in Cataio nascitur, quod via terrestri per Chinam et Persiam in nostras terras deportatur, cum quotannis una Charoanna magna de Persia Chinam abeat, quae sex menses proficiscitur, antequam Lanchin pervenit, civitatem regalem di China, ubi aurum ut merces divenditur. Hispanici talleri omnes, quorum quotannis naves ex India et Japan onustae eo appellunt, coagulantur et argentum in virgis discinditur ac ita pro moneta frustulatim, quemadmodum in Mina Guineae et Insula Sancti Thomae aurum frustulatim discissum, expenditur (habens quisque ad manum libram, qua argentum forfice discissum librat) nullusque aliae monetae usus est in tanto regno. Ibi vere mercatores maximi, inter quos sermo non de mille non de decem milibus, verum de trecentenis, quingentenis et decies centum milibus ducatorum communis est. Ibi intras domum mercatoris, in qua cumulos de panibus aureis et argenteis reconditos vides, quibus argentum thesaurus, aurum merces est. Et memini, quod mihi rettulerunt Lusitanum mercatorem allocutum quondam unum de his, si placeret, permutaret sibi auro argentum, intelligente China Lusitanum non plus 10000 talleros habere (ut qui in re tam parva se occupare nolens) puero suo mandavit, ut Lusitano de proprio expediret, quapropter ministri eiusmodi mercatorum plus negotii et quaestus habent quam interdum nostri mercatores ipsi.



32 Gens de Tezina imberbis est et solum pauci quidam pili e mento haerent. Capillos capitis, quemadmodum Indi, intonsos et mitrae reticulatae illigatos gestant, magna capita minutis oculis, verum artificiosa inventrix multarum rerum, et tamen imbellis, in cuius territorii et regione arma nec habentur nec conficiuntur; et quod pacis studiosissimi sint, ex unico illo apparet, quod Rex Synarum in confiniis cum Cathai inter montes ad 200 leucas murum erexit, quo regnum suum ab incursionibus Tartarorum tutis finibus munitum esset. Dicunt praeterea, quod in illa terra nec fames nec pestis umquam audita sit. Quod si tribus his malis liberata est, merito terra beata dici potest. Rex eorum trium mensium itinere a mari in Lanchin residet. Qui Lusitanorum in India victorias tam praeclaras expertus, - praesertim novissimam regni Gior sibi vicinam, ubi 1500 Lusitani contra 8000 paganos stantes eorum civitatem regalem adeptis 900 maioribus et minoribus tormentis bellicis et bombardis destruxerunt, capta eius Regis filia, quae Goae baptizata ad fidem Christi conversa est, - perceptis his, dico, et ipse metu Lusitanorum civitatem suam Canton, ad litus maris emporium maximum antea apertum, propugnaculis et portis munire coepit; nec Lusitano ulli armato eam intrare nec in ea pernoctare licet. Ceterum ut amicis mercaturam invicem exercere liberum est. De China Japonese petuntur, qui argento abundant, non plus 600 leucis absunt. E quibus in Americam seu et novam Hispaniam et inde in Hispaniam maris iter patet, atque ita mundus ambitur; quae navigatio tribus annis absolvi potest.

33 At tempus est, ut ad propositum revertar dicendo primum, quod Tezigan Lusitanis Porto Grande dicitur et Regi de Rekan paret, qui suas terras inter Bengalam et regnum Pegu tenet. Eius terrarum populi Mogi dicuntur, estque Regi de Pegu inimicissimus, quod illum sibi subiugare saepius tentavit, sed frustra. Rex Peguensis enim classem non habet, et hic ad 200 biremes tenet, insuper et provinciam suam tempore necessitatis certis aquarum ductibus ita inundare potest, quod hostibus ex omni parte incursiones interclusae sunt. Hunc portum fluvius facit, qui castrum praeterfluit, et multi eum ex alveo Gangis promanare atque ipsum Gangem esse existimant, sed cum non plus decem vel quindecim dierum iter in terram excurrat, ut certum est, neque eo in Siripur vel Satagan, vera Gangis ostia, navigari possit, manifestum est hunc Gangem non esse, et eorum opinio, qui aliter sentiunt, facile per se ipsam cadit. Portus ille unam léguam fere a castro et municipio Tezigan distat nullaeque habitationes ibi sunt. Quam primum autem ut naves eo applicuerint, quae ibi hiemare solent, concurrunt Indi facientes casas et tabernacula sibimet ipsis et mercatoribus, paucisque diebus efficitur nova civitas et forum magnum, quo omnis generis victus necessarius advehitur. Discedentes postea mercatores civitati flammam iniciunt eamque solo adaequant. Quod idem fit in locis, quibus margaritae piscantur, ubi tempore piscationis casas et receptacula e storeis, puto, et ligno cernis quam plurima, quae finito tempore piscationis cremantur terraque inanis relinquitur. Abduxerant Taprobanenses, quos Datzzeins Indi vocant, annos ante quattuor ex hoc portu naves quasdam. Propterea classis Lusitana decem biremibus ibi tenetur; nulli vero Lusitanis per totam Indiam hostes capitaliores sunt, qui erga captivos nullum crudelitatis genus non exercentes numquam ullum vivum dimittunt. Haec insula et Sumatra et antiquis propter abundantiam auri aurea Chersonesus dicta, quam aliqui Ophir esse, de qua Regi Salomoni aurum adportabatur, existimant.

34 Vidi in Tezigan multivaria genera maiorum minorumque navium, quae singula notare nihil refert. Praecipue tamen naves de China junko dictae alienam prorsus a nostris et omnibus aliis formam modumque navigandi et remigandi tenent. Earum vela storeis confecta, cameli et ancorae lignae, superficies navis plana et aequalis, interius tot et receptacula, prora tam lata quam puppis, tres timoni seu rectores. Vela numquam, ut aliarum, demittuntur, sed accrescente tempestate antennam sursum erectam malo aequatam alligant vento stoream ut vexillum hinc inde ferente; quod si tempestas fuerit, malus grandior ita confectus est, ut reclinari possit. Naves, quae remigant, non plus quattuor remos tenent, qui sunt oblongi (tractant quoslibet quattuor, sex et octo hominibus) et secundum navim retrorsum pendentes; iisdem non aliter atque pisces cum caudis in aqua hinc inde fluitant, iisdemque vel contra vel secundum cursum aquae remigare facile est.

35 Moneta vulgaris in terra Bengala sunt conchulae marinae minutae, quas gauri vocant. Harum octoginta un pon, quindecim pon unum canos et tres canos larinum faciunt. Atque ita larinus 3000 et 600, tallerus vero 18000 gauris constat, ut 100 talleris eiusdem monetae camelum onerare satis sit. Comparantur his conchulis omnes res minutae, item edulia et caro, gallinae, oryza, vinum ex oryza adustum. Larino uno saccum oryzae cum quinque vel sex gallinis emis, quod ad integrum mensem tibi soli sufficiat. In contractibus vero et mercatura larini, talleri Hispanici et ducati Venetiani currunt, item moneta quadrata argentea, quam tanga vocant et a Rege Rekam cuduntur. Contractus autem omnes fiunt in publico sub cooperta manu, ut de pretio rei non nisi emptor et venditor, item persona intermedia, quam corredor vocant, astantibus licet 1000 personis, scire possit. Certis enim digitorum articulorumque tactibus pecuniae summa



denotatur. Est et alius venditionis modus apud Bengalas, quem puris vel impuris larinis emere vocant. Purificantur autem hoc modo, quod de summa, quam coemptor exponit, semper aliquid detrahitur, ut de viginti larinis unus vel medius. Hoc servis, qui in re occupantur, restare dicunt.

36 Estque terra huius tractus plana et fertilis, quae infinitam quantitatem oryzae, saccari et piperis longi profert. Ubi tela conficitur subtilissima, et huius immensa copia, quae vili pretio a Lusitanis coempta magno lucro in India venditur. Sed ut omnia sunt misera in bellis civilibus, ita tum in Chitigan cuncta sursum deorsum ibant, et Lusitanos armata quasi manu sua tractare oportebat negotia. Rebellarat enim Capitaneus Generalis in Chitigan contra Nandia Sundar, Principem Bengalae, filium Regis Rekan, dominum suum, capto fortalio, in quo ad 800 maiora minoraque tormenta bellica ordine disponens cum 5000 hominibus suae factionis et 50 elephantis obsidionem principis sustinere non dubitabat, et Capitaneum Supremum classis Lusitanae, Antonium de Souza, ad tuendas suas partes commovere magnopere studebat promittens se fortalium in potestatem suam daturum. Capitaneus itaque aliquamdiu illi assistebat et fiebant quotidie excursiones, committebantur proelia minora. Eoque ipso die, quo nos portum intravimus, 300 Indi cecidere in pugna cum aliquibus Lusitanis. Princeps enim cum universa sua patrisque sui militia, 40000 hominibus, inter quos 10000 sclopetarii, 370 Elephantis armatis et 4000 bombardis grandioribus et minoribus iam aderat rebellemque terra ac flumine, quo ultra 2000 navigiorum minorum habebat, obsidione cinxerat. Is Lusitanorum amicitiam, quo facilius rebellem opprimere possit, valde concupiscens fratrem suum legatum cum 200 hominibus et 50 Elephantis, vexillis albis pacem designantibus ac muneribus quibusdam ad Capitaneum Lusitanum misit pacemque ultro obtulit. Quae acceptata conditionibus, ut Princeps insula parva Sundiva decedat (cuius proventus annui ad alendos milites sufficiunt), ut medium numerum tormentorum et 20000 larinos restituat, manumissis ex utraque parte captivis promittat. Rebellis ex altera parte Capitaneum maioribus promissis et pollicitationibus, quibus potuit, sollicitare, fideique promissae admonere et vehementer instare non desistebat. Non solum fortalium, verum semet ipsum, uxorem et liberos cum omnibus bonis traditurum et pro confirmato foedere sacrum Baptisma recepturum dicebat. At pace cum Principe iam conclusa Lusitani, qui heri contra hunc, hodie pro ipso pugnabant, classem suam navigiis Principis iam adiunxerant. Ille a Lusitanis se derelictum videns et iam de salute desperans obsidionem non plus tribus diebus sustinuit, at ultro se in gratiam sui Principis dedit. Qui recepto fortalio machinas maiores, elephantos et bona plurima ab eo abstulit, vitam et castrum rebelli relinquens. Quod factum prudenter esse dicebant, ut rebellem in fidem receptum eidem castro praeficeret, quem sibi iam certum haberet. Lusitanis vero ob defectionem ab eo suspectum iam parumque amicum fore sciebat. An vero Princeps Lusitanis pactis et promissis stetit, ut sunt instabiles Indi, hoc tempus demonstrabit.

37 Ego, cum me tempus ad revertendum vehementer moneret, relicto Chitigan cum Lusitano mercatore, qui navem vitatam habebat, ostium Gangis ultimum versus oceanum, quod Indis Satagan, Lusitanis Porto Pequeno dicitur, adnavigare coepi. Numerantur mari ad eum portum 100 léguas. Nos vero aliud iter suscipientes mare non plus 20 léguas ad tres insulas traiecimus ac inde Gangem intravimus. Consueverunt enim mercatores plerique ibidem coemptis vel vitatis navigiis, quas baseras, tauris, chalias et katabag appellant, Gangem intrare, ubi nundinas et fora pagorum sua lingua tezandeo dicta visitantes minori pretio merces quam alibi sibi comparare solent. Abeuntes itaque 2 die Novembris primum insulam Sundiva attigimus, quae fertilissima est oryza et multis fructibus abundans; serpente omnique venefico animali caret; in quam si tigris, ut ferunt, ex vicina insula Manosmarra (praeterivimus) invecta fuerit, paucis diebus post mortuus in campo reperitur. Biduum post insulam praedictam Manosmarra praeterivimus, quae deserta est, tigribus et lacertis praegrandibus plena et bubalis silvestribus. Altera die in insulam Sabaschpur venimus; haec Indis idolatris habitata, qui telam texunt subtilissimam. Et hic lacertae sunt magnae habentes linguam bicipitem, quarum ictus, nisi continuo aquam Gangis sanctam, ut credunt, insiliat, homini mortiferus est. Forte fortuito unam sub herbis latitantem 10 palmarum longam occidimus. Cuius cutis ut serpentum squamosus et ita durus, ut acies ferri cuiuslibet difficile penetrare possit.

38 Septima Novembris Siripur, ostium Gangis magnum, intravimus, ubi pauci Lusitani habitant. E Chitigan usque huc non nisi cum crescenti mari navigari potest, nam reciprocatio oceani etiam hoc amne operatur. Quando deinde alternis sex horis mare decedit, licet navigia illa ad formam biremium confecta optime remigent, non tamen propter violentum cursum aquarum navigare possunt, sed ripis usque ad reditum oceani alligata permanent. Quod idem fit intrando alterum ostium, Porto Pequeno, in Satagan; estque his locis aquarum impetus interdum magnus, quando nimirum incrementum maris inter insulas supradictas cum tanta furia advenit, quod, si fluctus naves ex obliquo comprehenderit, eas derepente obruant. Quare navium proras ex diametro directe contra fluctus dirigere oportet. In tot etiam et tam multa



Ganges ibidem divisus est brachia, ut insulas, quas in longum mare excurrens efficit, nemo numerare possit. Quae tamen omnes planae ac pleraeque habitabiles; multisque locis vadosa apparent, quae restinguas vocant, quod naves amne decrescente non sine periculo arena et limo haerent, ut et nobis accidit. Ab ostio hoc, quo Gangem intrant, mercatores Indi ad iter trium mensium merces suas vendunt hominibus, qui non procul a Monopedibus habitant, quorum planta pedis tam lata, ut ea tamquam umbraculo contra solis calorem se defendant; velocitate cursus autem quemvis bipedem superare dicuntur. His prope aliud genus monstri, homines auriculati, quorum aures tam longae et latae, ut altera incumbentes, altera pro tegumento utantur. Haec Indus mercator mihi rettulit. Ego vero de hoc valde dubito neque antiquis illis scriptoribus in omnibus fidem habeo, siquidem ex relatu aliorum multa scripsere. Quae tamen longe aliter se habere expertus sum, immo prorsus contraria vidi.

39 Decima Novembris relicto Sandrikul ad meridiem Sulmenbas intravimus. Pagus est, ubi gentiles vidi celebrare festum. Saltabat cantando coram idolo suo senex, qui hinc inde cursitando monstrosus gestibus suis interdum delirare mihi visus est, ut risum vix continerem. Erat enim praeter pudenda toto corpore nudus, sparsis capillis canis, deauratis manicis et compedibus sonum reddentibus ornatus, manu altera baculum deauratum, altera pomum tenens, ruber dentibus (nam Indis atro vel rubro colore tincti dentes magis placent quam nobis lacte candidiores) et ipso daemone paulo pulchrior. Gesticulantem hunc comitabantur 4 homines cum tympanis et alii 4 habens quisque manu qualibet patinam aeneam, quibus ad invicem percussis cantando plaudebant. Aderat turba et praefectus loci magna devotione spectaculum intuentes. Quo finito multa reverentia et flexis genibus idolo, quod erat statua Aethiopsis auribus asininis, cauda leonina valedicebant. Narrabant mihi, quod alio tempore festi multo absurdiores ludos agant et ad demonstrandum, quantum quisque magis minusque peccati habeat, ab alto quidam super acies armorum cadentes non laeduntur, quidam linguam sibi ipsis perforant et id genus alia. Libuit autem percunctari Indum Lusitanae linguae peritum, quare idolum hoc adorarent illique divinos honores tribuerent et an Deum vivum crederent, qui caelum et terram creavit. Qui respondens ait: Deus quidem unus solus in caelo est; sin in caelo est, non potest esse in terra, et ea, quae in terra sunt, non curat, posuit autem sua signa in terra, quae colimus, quemadmodum et vos Christiani crucem in ecclesiis vestris constitutam habetis illamque veneramini. Dicebat praeterea: Deum vivum esse qui sciunt, tanto melius ipsis aliquando erit; sunt autem plebeii plerique, qui ignorant et Deum suum quotidie videre volunt atque ideo simulacra pro Deo colunt. Haec fides Gangeticae genti.

40 E Sulmenbas in Jassor veni, cuius Rex Reyaus quaestor erat Regis Patani in Bengala, quem Acobar Magnus Magor subegit. Qui videns adversam fortunam heri sui, raptio thesauro maximo, fugit in hanc terram et eiecto Rege Tezantican terram vi armorum obtinuit, de qua oryzae proventus maximos habet; et Vassallus Magoris est. Hic locis multis pavones silvestres sunt multique psittaci, quos tellus Gangetica nutrit, et simiae, quae ad ripas amnis arboribus hinc inde gesticulantes clamorem nostrum perpulchre deluserunt. Audivimus etiam item aliquoties in locis solitariis et inhabitatis gallorum cantum, quem silvestrium esse dixerunt, quia domesticos colore et magnitudine differunt. Quemadmodum autem Nilo crocodili et hippopotami, Euphrate leones Tigrideque latronum insultus, ita hoc amne crocodyli tigresque metuendi erant maximi. Gignit enim Ganges crocodylos, quos sua lingua gombrii vocant, tam magnos, quod integrum hominem inglutiant; et mirandum est in hoc animali, quod de tam minima massa tam cito in tam magnam molem excrescit, ut de magnitudine unius ovi saepissime viginti quattuor pedes excedat. Lingua caret et maxillam movet superiorem. Matutino tempore in ripa soli se apponunt et sic dormiunt. Quod si homines cum navibus absque rumore transeunt, immoti permanent. Si vero clamitant, illico expergefacti aquam insiliunt et homines quandoque amne lavantes perimunt. Quorum quotidie videre licuit. Etiam interdum sclopettis illos petivimus, quos ictus pili minime cutem illam durissimam pertransiens sursum deorsum iactabat quidem, sed illaesos amnis statim exceptit. Hos interdum etiam prope navim per longum spatium nobiscum natare vidimus, quorum oculi solummodo et minima pars oris aqua prominebat. Terra tigribus praegrandibus referta est, quos бага vocant. Hi non solum homines naves exeuntes adoriuntur, verum naves quandoque ripa alligatas insiliunt hominesque incautos ex improvise dilaniant ita, ut homo nec terra nec aqua currere satis tutum sit, siquidem locus ipse mihi monstratus est, in quo anno praeterito Lusitanus a fera interemptus erat. Inde et navigatur iis locis interdum per canalem amnis tam angustum, ut remis terra ex utroque latere tangatur; estque ripa utraque crebris arboribus altissimis condensa, ubi specus perobscuri et tigrium habitacula, quorum vestigia navim quandoque descendens non adeo magna delectatione aspexi et subito pedes, quantum potui, <rettuli>; terramque pos<t> cenam mille passibus permeare (Galeno facile id, si viveret, permittente) non timebam. Inde in Chantican veni, ubi navigia vidi cum prora praealta; puppis caput aquam attingit, qua exorto quovis levi vento propter



altitudinem prorae navigare non possunt. Constat autem prora multis gradibus, quibus ascensis milites ab alto sagittis et bombardis Lusitanorum biremes oppugnabant, quibuscum nunc treguas habent.

41 14 veni in Sidalpur, ubi culcitrae conficiuntur acu pictae et miranda opera elaboratae, quarum una 20 talleris vel 30 empta in India 60 interdum valet et Lusitaniam transmittuntur. Triduum post in Ragora et Betor, quadriduum post in Badrukalii, ubi idolum triceps aderat, cuius caput superius canis, medium avis, interius lacertae erat. Vidi etiam Indum hic, antequam flumen lavatum intraret, multis mirabilibus caeremoniis orationem facere et floribus quibusdam aquam consecrare; mulieres similiter vidi aquam amnis non nudis manibus attingere, sed panno implicata manu aquam sublevantes corpus lavare. Vasa sua, si Christianus labris atrectarit, contaminata putant. Sic et ollam, qua semel usi sunt, frangunt et singulis diebus nova opus est. Cenaturi primum aream stercore vaccarum illiniunt, inde linum superponunt et folium ficus, quo facto corpus lavant amne ac demum cenant. Tecta domorum straminea limo illiniunt, ne ignis, qui saepe a latronibus incitur, nocere possit.

42 21 Novembris Kudaran et Kornagor castella ex utraque ripa opposita praeterivimus, ubi Magni Magoris Capitaneus cum custodia 500 militum. Qui praetereuntes naves armatis naviculis quibusdam invisere solent, sal quaerens, quod iis terris plurimum valet. Ormuso etiam quotannis onusta navis sale Bengaliam intrat reportans telam et oryzam et saccarum. Sub praetextu autem quaerendi salis Lusitanis interdum, si paucos et inermes eos offenderint, etiam alias res abripiunt. Quo fit, ut armata manu loca haec pertransire et vim vi repellere saepe necesse sit. Eodem die vesperi Ogulin, civitatem provinciae Satagan, intravi. Estque hic locus in regno Bengala ad Gangem magis celebris quam reliqua propter frequentiam mercatorum, qui suo anni tempore illinc negotiantur, partim etiam illinc habitant atque ecclesiam suam ibi tenent. Exeunt ex hoc portu quotannis triginta et quadraginta naves onustae oryza omnis generis, tela de bombyce et de herba saurii vocata (quod sericum est, nascitur in campis et absque ulla cultura vel labore hominum suo tempore colligitur), item maxima quantitate saccari, lacca, pipere longo, zinzibere, mirabolanis siccis et conditis, oleo de Zerzelin, semente, cera, butiro et multis aliis mercibus.

43 Satagan castrum multis bellicis machinis firmum Capitaneus Generalis Magori Regis tenet media légua ab Ogulin distans. Fuit olim sub dominio Regis Patani. Iam tota prope Bengala Chitigan usque Regi Magori subiecta est, qui Rex est Agrayae (Agriam dicti et Sogdiani antiquitus), regni Delii, ubi diamantes nascuntur, et totius regni Cambaiae. Est autem Mahometanus, de quo inferius aliquid dicendum. Ob id etiam iam magna pars gentis Bengalae sectae huic addicta est, qui prius erant gentiles universi et idolatrae. Vidi hic rhinocerontem feminam, quae cornu naribus non habet (ut mas, quem in Aegypto vidi), quam Bada vocant; item genus caprearum, quarum cornua in spinarum formam producta. Est autem in regno Bengala tam infinita multitudo gentis miserae, ut se ipsos Lusitanis venditum ultro offerant. Immo pater filios et maritus uxorem quandoque gravidam divendit, quae Lusitanorum mulieribus pro nutricibus serviunt. Puer octo vel decem annorum 15, magis adultus 20 larinis vel paulo pluris emitur. Hi Lusitanorum mancipia sunt et Lusitaniam usque annuatim magno numero (sicut ex Aethiopia et etiam e regno Malabar et Calecut) devehuntur.

44 Habent modum sectari feras in Bengala delectabilem. Exeunt noctu tres vel quattuor homines. Praecedens focum cum pice ardente supra caput fert, qui ita factus, ut, si bene integram noctem ambulet, illaesus permaneat. Circum circa cymbalos sonantes et tibiis etiam campanulas alligatas habet. Ignis vero duas ob causas effertur: primum ad fugandum tigres, qui ignem abhorrent, deinde, quodcumque animal silvestre sese obtulerit sive cervi sive capra sive vacca silvestris conspecto igne pavidum subsistat atque ignem inspicit. Interea confestim alter, qui praecedentem sequitur, arcu et sagittis feram transfigit, tertius baculo longo et forti lepores cuniculos et vulpes illos chakales (nam India alios vulpes non habet) passim occurrentes et ignem similiter intuentes occidit; ac ita pauci homines unica nocte tantam praedam consequuntur, ad quam in nostris terris tot homines, tot retia et tanti apparatus cum maximis laboribus et difficultatibus vix sufficere possunt.

45 Tempus est, ut dicam, cur superius aquam Gangis sacram appellarim, nam id quidem fortasse iam dudum requiris. Gangem Haemodiis montibus profluere cosmographi testantur. At Gangarides Indi nullam eum in terris originem habere, sed caelitus promanare dicunt nugantes Regem quondam Bengalae emisisse fratres duos iuvenes, a cunabulis inde crudis piscibus enutritos, ad investigandam fluminis originem. Qui amne adverso vecti multos annos, demum senio iam gravescentes rediere nepotibus praedicti Regis Bengaliam tum tenentibus; miranda multaque de eo flumine rettulere, at originem huius explorare numquam potuisse affirmarunt. Eam ob causam aquas eius sacras et in magna veneratione habent, ut quo peccata abluere possint, celebrantes quotannis festum singulare et magnum, in quo idolum multis caeremoniis, clamoribus et musica flumini iniciunt et quidam ex devotione tam magna idolum amplectentes cum ipso



fundum petunt ac voluntario suffocantur; quos vere sanctos existimant. Noctu ad flumen innumera luminaria accensaeque faces videntur, et dicunt mortuos suos iam dudum amne sepultos eo tempore festi de profundis se erigere. Quapropter quisque suis parentibus et amicis lumen incendit, quo suam generationem in terris adhuc viventem superesse videre possint. Aniculae et mulieres ad ripas catervatim sedentes mortuos suos nenia et lessio deplorant. Aquam etiam multas léguas in terram deportatam divendunt. Utuntur aquis illis ut nos thermarum. Invalidi enim e longinquis locis ad flumen portati veniunt et ablutione harum morbis corporis et animae mederi credunt. Mortuos suos semiassatos, crematos, qui sunt ditiores, plebeii sine flamma in flumen sepeliunt, vaso quodam grandi collo alligato. Cum enim quandoque cadavera humana amne fluitantia viderem et, quis eos homines occidisset, percunctarer, dicebant mihi moris hic esse non solum mortuos, verum etiam eos, quorum corpora diuturnis aegritudinibus magnisque morbis tabefacta iam sunt, semivivos adhuc in flumen proicere; immo quosdam senio confectos, et qui morbo laborant, de quo se liberari iam desperarint, sponte ac voluntario amnem suffocatum intrare, quod mihi Lusitanus mercator, homo fide dignus, Luis de Mata, quocum iter hoc Gangeticum confeci, confirmavit. Se propriis oculis vidisse aegre valentem Indum quendam flumen intrare; cum vero aqua ad os penetraret, coepti paenitentem terque quaterque reverti, usque tandem fluminis impetus languidum et viribus destitutum oppresserint.

46 Stabant in Ogulin biremes duae, quae brevi Indiam petiturae erant (nam Lusitani terram extra Gangem, et quicquid ultra est, extra Indiam constituunt) mercesque portabant, quas navibus de Portugal, quae mense Septembri quotannis Goam adveniunt abeuntes Ianuario, venditurae erant. Qua de causa eis, quo discessum harum praevenirent, eo maturius proficiscendum erat. Nam reliquae naves propter hiemem, qui tum citra promontorium Comeri, et uno mense serius navigant. Itaque undecima Decembris navim ingressus ad meridiem sequentis diei secundo flumine in Betor veni. Locus est, ubi naves grandiores de India et Ormuz sistuntur, quae propter vadosa in Satagan non possunt intrare. Ibi quae alteri biremi, quacum una eundum erat, triduum praestolando dedimus atque inde biduum post 60 navigia armata Magni Regis Magor obviavimus, quae contra rebellem quendam exeuntes in ripa fluminis consederant. Vidi illa die octo crocodilos et quidem maximos, qui sole dormientes matutino tempore iuxta flumen limo haerebant. Altera die Angilin terram appulimus, ostio fluminis proximam, cuius dominus Rhemoti Boiam Mussunduli, id est magnus dominus, dicitur, quem quinquaginta filios habere atque una die viginti elocasse dicunt. Decima nona Decembris prope Insulam Gallorum, quae deserta est, extra ostium constituti, aperto mari nos commisimus atque ventis bene prosperis usi, novem dies terram non videntes, tricesima eius mensis in Narsingam regnum, quo trecentae léguae numerantur, salvi appulimus.

47 Haec est terra illa beata, quam divus Thomas e Zaccatora, insula Arabiae Felici vicina, veniens primum appulit. In qua et fidem Christi miraculis confirmans gentes quam plurimas et Reges etiam quosdam idolatras Christianae religioni associavit ac demum, cum Bramenes miracula sua arte magica facta dicerent illumque orantem hastis transfigerent, coronam martyrii adeptus est. Corpus eius ab Armeniis iam dudum clam subductum et Armeniam translatum esse dicunt. Civitas Sancti Thomae ad litus maris condita, olim Meliapor, Lusitanis et praedictis Christianis, item gentilibus habitata, Regi Naik subiecta est, cui Lusitani vectigalia solvunt. Ibi panni bombycini sarass dicti variisque coloribus et mirae subtilitatis pulcherrime tinguntur ac depinguntur, quorum colores quanto plus lavantur, tanto plus vividum redduntur. Stupenda res est videre homines et merces navibus ibidem immittere et exponere. Nam litus illud impetuosum est, quod Costa Brava vocant, neque scaphae vel ullae aliae naviculae ad id servire possunt, nisi proprie ad eum usum facta et accommodata navigia, masudi dicta, quae alta sunt et lata, tabulis tenuibus colligata filoque crassiori consuta, quemadmodum Ormusenses teradae. Quibus in arido constitutis homines et merces imponuntur, quos nautae mari iniectos multa cum festinatione contra grossissimas maris undas remis ad naves perducunt. Atque simili modo exponendo homines et merces e navibus in terram iisdem navigiis utuntur; et quando iam litori appropinquant, illico mare insiliunt nautae atque masudi ex ambo latere fortiter tenent, ne a fluctibus corripiantur. Inde subito ab undis marinis in siccum litus eicitur ita, ut homines et merces sicco pede in terra constitutos videas; et licet aliquando evertatur masudi, non tamen vitari merces possunt, quae coriis bovinis optime illigatae et consutae sunt.

48 Praedictorum Christianorum in pluribus Indiae partibus multi sunt et se Christianos de Sancto Thoma appellant atque cum Armenorum fide consentiunt, Episcopum suum habent. Cellula, quam divus Thomas ipse aedificavit, in colle sita ab urbe media légua distat. Quo in loco Lusitani aedem sacram Beatae Virgini dicatam et A Nostra Sennora d'Esperanza vocatam habent. Est locus ille non solum a Christianis, verum etiam a paganis respectatus.



49 Ultima Decembris ad insulam Nerendiva, quam Ilha das Vaccas appellant, maxima cum tempestate appulimus, ubi et propter copiosissimas pluvias triduum constitimus. In hac insula lapides bazar, quos nos besoar vocamus, vidi; inveniuntur in stomacho caprorum tam domesticorum quam silvestrium et causam huius physici dicunt quod herbam omnem huius insulae, qua pascuntur, unius qualitatis et substantiae esse volunt. Nascitur lapis hic nonnisi in tribus partibus orientis, scilicet in hac insula reperitur, in Malacca et in Horassan Persiae, qui optimus, nam et in Peru Americae invenitur; et quam praesentissimum hoc sit remedium contra omne venenum, iam satis constat. Atque in hac insula annum 89 concludens quarta die Ianuarii anni 90 Insulas Hermanas praeternavigantes, triduo post in Manar insulam advecti sumus, quam Lusitani Ponta de Seylan vocant; parvo enim canali ab insula Seylan seiungitur et olim huic iuncta fuisse creditur. Homines harum insularum utriusque sexus toto corpore nudi praeter pudenda panno cincti ambulant. Et quia mare tam angustum est hic tamque vadosum, necesse est naves exonerare et malos et antennas quoque deponere. Quae vada tamen solum biremes navigiaque minora inania transire possunt. Grandiores extra Seylan, ut dixi, navigant. Imponuntur merces navigiis minoribus, quae ferro carent omni. Hae, ut puto, materiam fabulae dederunt Antonio Musae et aliis, qui scripsere, quod navigantes de Calicut per promontorium Comeri ad insulam Seylan utantur navigiis eiusmodi clavis ligneis et ancoris ligneis et sine ferramento ullo confectis, idque propter montes vicinos et fundum maris magnetem refertum, ne scilicet attrahat ferrum de praedictis navibus. Ego vero aliam rationem magis veram dare possum, quae est inopia ferri multis in locis Indiae, siquidem iam ipse verum esse, quod Solinus scribit, Indos ferro ornari, in Bengala expertus sum, ubi pugiones, item Nayri in Cochin gladios suos non argento vel auro, ut nos, sed superflua quantitate ferri ornare solent. Vidi in Manar tres costas balenae ante castellum erectas ad sex cubitos altas. Arborea sunt in hac insula admirandae proceritatis et crassitiei, ut decem et duodecim homines unam vix amplecti possint, sub cuius umbra armentorum greges maxime recumbunt, et, ut Arrianus ponit, ad 10000 hominum a calore solis se defendant, si credere fas est.

50 Vidi etiam sex elephantos in navigium imponere, quos Capitaneus Cochinum transmisit. Erat res stupenda audire horribiles mugitus eorum et videre, quo ingenio tantae moles superabantur, apud quos blanditiae et pollicitationes plus quam vires valebant, siquidem bestiae huic intellectus humani non parum inesse manifestum est, ut quae cuncta, quae sibi mandantur, accurate intelligat; id quod ex hoc unico perspicere potest: Cum Goae elephantorum praefectus quodam die uni victum denegaret et ollam fractam monstrasset, elephas ollam continuo proboscide exceptam ad officinam fabri ferrarii portavit. Quod faber intelligens ollam non admodum bene refecit. Quam praefectus vero ollam elephanto monstravit atque oryzam, quibus pascuntur, in ea coqui non posse dicebat. Quam elephas denuo acceptam fabro cum multo furore tradidit. Faber itaque ollam optime reconcinnavit, elephas autem diffidens ollam in litore maris aqua impletam hinc inde circumspexit, num aqua penetraret. Quam perfectam intelligens demum Praefecto tradidit. Goae, etiam si quae triremes mari iniciendae sunt, vel si qui trabes magni ad aedificia, quos ferendos hominum vires deficient, elephantis perficitur. Immo capitalis iustitia apud Indicos Reges est, quod homo proboscidi elephanti inclusus magis minusve ad placitum iudicis beluae id imperantis ita premitur, ut patrata cuncta narret facinora. Qui si mortem meruere, elephas hominem malefactorem rostro in sublimes auras eiciens acumine dentium excipit terraque prolapsus pede caput conculcat atque ita mortificat.

51 Transitu illo exponendis nimirum et reimponendis sarcinis septem dies occupati fuimus. Expediti autem 14 Ianuarii ad promontorium Comeri 50 léguas traiecimus. Quod circumvecti iterum septentrionem versus 50 léguas navigantes, 20 eiusdem in portum Cochin salvi intravimus atque duas naves magnas Lusitanas, quae inde non discesserant operimus. Haec provincia in regno Malabar, cuius caput olim Calicuth fuit; et habent Lusitani civitatem satis magnam ad litus maris sine fortalio, quam Sanctae Crucis appellant, eo quod in die Sanctae Crucis ex licentia Regis eius terrae, qui primus Lusitanos in India appellentes hospitio excepit, cui et de mercibus vectigalia pendunt, eandem aedificare coeperint. Huic prope est Cochin Arriba dicta, ubi Rex paganus habitat, utraque sita ad ripas fluminis cuiusdam bonae aquae, quae ex montanis Regis de Pipere vocati promanat sub cuius ditione multi Christiani de Sancti Thomae habitant.

52 Estque terra Regis illius referta pipere, quod in silvis maxima copia nascitur absque ulla cultura hominum. Herba est hederæ simillima, quae arboribus quibusvis adhaerens in altum excrescit et facit corymbos suos ut hederæ, quae sunt ipsa grana piperina, quae primo sunt coloris viridis et sole siccata nigrescunt. Huic herbae si non adest arbor, qua in altum excurrat, sed humi deiecta manet, inter reliquas herbas suffocatur et nullum fructum facit. Onerantur in Cochin annuatim quinque vel sex galeones seu naves magnae de Portugal "a refuso", ut dicunt, et non imposito in saccos pipere; atque ita Lusitaniam



adportatur. Omne vero piper illud, quod fretum Rubri Maris intrat Passo di Contrabando, cum Rex Lusitanorum nemini hominum piperis emptionem permittat et solum hunc sibi pro regio quaestu usurpare velit. Praeterea etiam neque Mori neque gentiles absque carta vel licentia Proregis Lusitani navigare possunt. Sed Indorum naves ex insula Banda, ex Moluccis, ex utraque Giava et aliis circum vicinis insulis non solum piper sed et muscatum, cariofila, zinziber et alia aromata Taprobanen adferunt. Ibi Mahometanorum naves e Sinu Arabico applicantes aromata illa omnia aliasque merces coemunt, quae per fretum Rubri Maris Meccham vel Zyden, qui sunt duo portus maris, atque inde per desertum Meccham, Cayrum et Alexandriam deferuntur; et in hoc, apparet, quam maxime Regi Philippo et Lusitanis conduceret, si hoc fretum, quemadmodum illud Ormusense, armis occuparent. Nam hac sola via non solum omnia aromata, sed et inaestimabilis thesaurus aliarum mercium quotannis ex India in Turciam devenit. Quare Lusitani intermissis omnibus aliis non necessariis bellis omnem vim atque potentiam suam, immo totos belli nervos impendere debeant, ut hoc fretum obtineant. Nam occupato hoc solo, Turcarum naves ne hiscere quidem audebunt in India, et merito tum Philippus Rex totius universi oceani orientalis, meridionalis et occidentalis Dominus et Imperator dici poterit. Hoc anno 24000 quintales piperis et 3000 quintales cinnamomi in Europam transmissi sunt. Constabat unum quintale, quod 96 libras augustanas habet, undecim seraficis, qui quinque ducatis aureis et medio valent.

53 Erat olim Calicuth, quae huic terrae ad 25 léguas vineta est, celeberrimum totius Indiae emporium, unde omnia aromatum genera atque aliae merces Indicae in alias terras deportabantur. Cuius Rex cum ab initio semper Lusitanis sese opponeret, quam acerrime a Lusitanis auxilio vicini Regis in Cochin, quocum propter Lusitanos bella gereret continua, cum terra marique quantum fieri poterat persecuti sunt ita, ut succedentibus annis vires et potentia Regis de Calecuth, qui Samorin (id est Imperatorem) se appellat, valde depressa sit. Summa enim rerum totius maris in India potiti Lusitani scalam novam sive portorium in Cochin constituere, quo negotiationes omnes e Calicuth in Cochin translatae sunt. Rex de Cochin non admodum potens est respectu aliorum Regum Indiae, licet ad 60000 hominum in campum evocare possit; inter quos magnus numerus est nobilium, Amochi et Nayri appellati, et eorum dignitas summa est. Hi semper, quocumque vadunt, ense nudum, qui falci similis, et clipeum secum gestare solent, ut ad quemvis fortunae casum pro Rege pugnare parati sint. Toto corpore praeter pudenda et capite etiam nudi ambulant discalceati semper.

54 Reges harum Indiae partium semper in conflictu praesentes esse solent sed tanta observantia coluntur lege inter eos antiquissima constituta, qua personam regiam nemini hostium armis petere licet, quae umbraculo et scuto albo denotatur. Quibus conspectis nulla tela, nulli hostiles impetus avvicinare audent. Nam mortuo in proelio Rege, omnibus Nayris suis, quibus tutela personae regiae commissa est, necessario moriendum et in pugna cadendum esse censent. His omnes reliqui homines, cuiuscumque status vel conditionis sint, exceptis Lusitanis, obviantes via cedunt, idque ratione auctoritatis. Nam tangere hos maius nefas est quam Iudaeos olim Samaritis. Accidit autem, cum Lusitani primum in regno hoc recepti Nayris obviarent et neuter neutri via cedere vellet, ut quotidie rumores orirentur et homicidia etiam fierent. Quapropter Rex cum Lusitano Capitaneo convenit, ut duello res decideretur. Qui praefinito die mandat unum ex Nayris suis haud dubie probatissimum. Lusitanus cum paucis suis apparet et ad ostentandum Lusitanae gentis valorem edocto prius ad id milite suo exercitatissimo. Cum tota multitudo gentis pugnam spectatura concurrisset Indusque in aream constitutus nullum Lusitanum armatum contra paratum adesse videret, Rege causam rogante, forte fortuna miles praedictus vilioribus vestibus indutus, interius tamen armatus atque humeris barillam aquae gestans praeteribat. Qui accersitus a Capitaneo iubetur contra hunc arma sumere. Sed multis se verbis excusans, ut qui numquam arma similia manibus attractasset, nedum tractasset, et non nisi eo servitio, quo videretur, aquam navibus importando perfunctus esset, quo tamen non contentus Capitaneus, coactus arma sumere visus est. Ast primo statim congressu demonstravit se alium esse atque simulabat brevique interempto adversario victor causam obtinuit sibique et Lusitanis omnibus praecedentiam vel viae cessionem sine ulla sua sanguinis effusione adeptus est. Quae hodiernum in diem ab incolis huius terrae accurate observatur. Reliqui vero omnes (ut sunt Joges, Poleas, Bramanes, Baneanes) Nayris obviantibus via cedunt. Est enim terra multis in locis spinosa et invia ita, ut nisi ad semitam unius hominis iter expeditum habeas, ex utroque latere gramen spinosum. Quapropter ne obviantes sibi invicem tangant, de longe inhumanis prope vocibus "po, po" (quod est: praecaveas tibi) clamitant; et Poleas Baneanis, Baneanes Bramenis, hi Nayris et Nayri Lusitanis cedere tenentur.

55 Rex ipse, quod e familia Nayrica oriundus, nobilissimus habetur atque ideo moris est ei genti, ut, si Satrapa aliquo filiam elocante, Regem suum solemnem legatione vocare, qui primus claustrum virginale rumpat; nam honoris id maximi ducunt filiam regio semine perfusam. Sic et mulieres iis communes sunt,



his scilicet, qui sunt eiusdem familiae; et si quis domum mulieris intrat, ante portam ensem et scutum relinquit, quibus visis nemini alio sequi licet. Aliud genus hominum in Cochin et in toto regno Malabar est, qui Poleas dicuntur. Hi mechanica officia tractant et a Nayris despecti sunt. Quibuscum matrimonia inire vetitum, immo tangere hos nefas; quod si casu fit, plurima Nayris aqua abluenda est labes. Hi mense Februario Bacchanalia habent, quibus tres dies quaevis facinora patrare liberum. Quod si Poleas uxorem Nayri cuiusdam conspicatus fuerit eamque si digito saltem atrectare possit, illico hoc a marito domo extruditur; quam Poleas recipit. Consuetudo iisdem est, quod nullus officium vel artem patris mechanicam mutare potest, ut, si pater faber vel sutor, de iure filius et omnis ab eo descendens linea id officium exercere tenetur. Viri in terra Cochin, ut mulieres, auriculas perforatas multoque auro libratas ad humeros usque dependentes habent. Qui vero Joges, Baneanes, Bramenes sint, suo loco dicetur.

56 E terra ipsa Cochin exceptis aliis mercibus, quae ex aliis locis advehuntur, producit piper, cinnamomum silvestre, zinziber siccum et conditum (cuius herba in hortis cultivatur panico similis et eius radix zinziber), areka, cortices arboris palmar, e quibus funes conficiuntur. Vidi hic arborem, quem Indiani singadi, Lusitani Arvore Triste appellant, quae per totum annum singulis noctibus recentes flores admodum odoriferos producit, qui albescente caelo decidunt; et narrant huius rei fabulam gratiosam dicentes arborem hanc esse filiam magni cuiusdam regis Parizataco. Cuius amore sol multo tempore flagrabat. Cum vero deinceps ob amorem alterius hanc repudiare^l, prae nimio dolore se ipsam exanimasse. Quae iuxta morem gentis cremata est, et de cineribus enatam arborem praedictam, quae conspectum solis fugiens et abhorrens flores suos ad testificandum perpetuum luctum non nisi obscuro tempore noctis depromere soleat. Horum florum posterior pars crocea est. Qua vulgus in conficiendis eduliis pro croco utitur habetque omnino odorem et saporem croci.

57 Nuntiabatur, dum Cochini essem, piratas et latrones Malabarenses viginti navigiis a Konyall, Principe et Vasallo Regis de Calicuth, venisse. Quapropter ad certificandum rumorem huius Gubernator loci Don Hieronimo Masquarenas biremem cursoriam, quam lacertam appellarunt, emisit. Quae intercepta ab hostibus causa fuit, ut, dum reliquae naves ad exitum pararentur, etiam nobis expectandum esset. Quae 3 Februarii quindecim biremibus una galeotta et viginti navigiis onerariis abeuntes, ad vespertas eius diei iuxta Crangenor stetimus, castrum Lusitanum cum municipio paganorum, de quo aqua dulcior scaphis Cochinum adfertur. Habet haec terra Regem paganum subiectum Regi de Calicuth, cui Lusitanorum auxilio confisus rebellat. Sequenti die venimus in Panani, ubi prorex Don Duarde de Meneses fortalitium magnum fundaverat, cuius structurae, antequam in altum erectae perficerentur, ab impetu vicini maris conciderunt. Generantur mari hoc colubri et viperae virulentissimae, a quibus ictus unus ex nautis nostris, cum medicamina multa et efficacissima contra venenum et obligarentur et ebibenda darentur, illum tamen a morte vindicare non potuerunt. Qui antequam expiraret, sacrum baptismum petebat, quod illi, dum sacerdos non adesset, unus e militibus participavit. Cui mortuo, saxo ad pedem alligato, mare sepulchrum fuit. Hi colubri licet noctu in litore dormiant, de die tamen decrescente oceano saepius mare altum ad multas leucas innatant. Quapropter de longe e navibus prospecti terrae vicinae laeti nuntii habentur, et exorta subita laetitia omnes et singuli alta voce clamitant "cobra cobra" (quod Lusitana lingua coluber sonat) terram iam proximam esse scientes.

58 Quinta Februarii in Chale venimus, ubi Lusitanorum annos ante viginti fortalitium magnum erat, quod a Capitaneo Don Jorge de Castro hostibus id obsidentibus pactis traditum, qui propterea ex sententia Regis Lusitani capite multatus est. Noctu hac montes Calicutii praeternavigantes, sequenti die in Calicut appulimus, quae metropolis magna est in regno Malabar, olim muris cincta, cuius moenia fluctus marini continua reverberatione iam dudum deiecerunt. Imperator Malabarensium, Zamorin dictus, hic habitat. Cui filius sororis in regno succedit, quem de regio sanguine progenitum certo scit; atque hac in parte uxoria fides, licet regia, non respicitur. Causam huius recensent, quia apud ipsos consuetudo sit, quod peregre proficiscente Rege uxor regia in tutelam sacerdoti Bragmani committitur; et cum de continentia amborum Rex nihil certi sibi promittere possit, ideo filios proprios regno privat et sororis adoptat. Hic Rex, ut superius dixi, ab initio Lusitanis, quibus modis potuit, sese opposuit, sed, cum vi et armis nihil proficeret, traditionibus variis rem temptavit, qua minus succedente pax et indutiae ambos inter sunt factae. Sed numquam vere bonus est. Eiusmodi enim treguas tractat, quod bellum satius esset, cum uni de Principibus suis, Koniall, permittat, ut classe sua Lusitanas naves mercatorias persequatur. De qua classe quidem anno praeterito duodecim biremes amisit.

59 Zarama Perimall ultimus Rex fuit paganus, qui totum imperium Malabar, quod nunc in septem provincias divisum, integrum et unitum possidebat annos ante 700 fere. Qui persuasus a Mahometanis e Meccha quotannis eo appellentibus Mahometi sectae sese dedicavit atque eo devenit, ut relicto imperio

contemptaque huius mundi vanitate Meccham adire et sanctus in terra sancta mori decreverit. Ante abitum vero, cum filium non haberet, totum imperium in partes captivis et ministris suis distribuit atque uni Coilan, alteri Cochin et sic reliquis Crangenor, Chale, Cananor et Mangalor tradidit. Puero autem suo intimo et familiari eius provinciam Calecutum titulo Zamorim, id est Imperator, reliquit, ut qui ceteris omnibus imperaret. Quae constitutio paucos annos durans, paulatim quisque suo se iugo exemit et provinciam suam absolutam fecit.

60 De Calicut 12 léguas castrum est, quod Koniall praedictus tenet. Quod praeternavigantes sequenti die venimus ad insulas quasdam parvas et desertas, qui scopuli potius quam insulae dicendae; has Ilhas Cagadas vocant. Inde in Cananor fortalitium, quod primum Lusitani in India erexerunt plurimo sanguine tam Christiano quam hostili libatum. Rex huius terrae paganus suam civitatem huic prope habet. Gens mala et Lusitanis saepe rebellis. Sunt sub hoc Rege et sub Calicut multi Mori, quos Moros de Carapuzza vocant, qui caputium rubrum gestant, omnes latrones piratici, qui praedam cum Rege partiuntur, quibus in secreto excursiones permittit. Utuntur autem strategemate, quo persaepe Christianorum naves onerarias praesertim decipiunt; nam vexilla, vestes et pilleos Christianos habent. Quibus visis Christiani nihil mali suspicantes avvicinare ipsos sinunt, immo et linguam Lusitanam callentes, incautos obruunt ita, quod navigatio illius maris admodum insegura est. Producit haec terra sola cardamomum, item piper, zinziber, nuces magnas kokos, multas arekas; dat et lapidem, quem nos granath dicimus. Item aliud genus lapidis, quem pedrafria appellant: niger est colore viridi permixtus tactuque frigidissimus, qui mollificatus aqua ad febres proficit.

61 Nona huius mensis in Mangalor appulimus, cuius terrae Rex contra Lusitanos rebellis fortalitium bene firmum ad 2 milliaria Italica a castro Lusitano iuxta litus maris erexit; quod Lusitana classis, dum hieme fieret, prohibere non poterat. Atque ideo hostes vicini e castello erumpentes et in litore constituti multis sclopetorum pilis nos portum intrare frustra impedire conati sunt. Quibus pari bombardarum harmonia respondentes et vesperi abeuntes locum, quem Rio das Pedras vocant, attigimus. Ubi Lusitana classis erat, quae pridie passum illum occupaverat interfectis plus 100 Indis et 24 Lusitanis, vulneratis quam plurimis, et in opere erat ad deiciendum et destruendum illud castrum novum. Cui terra auxilia ferebat alius Rex paganus, Bangel dictus, qui 20000 hominibus terras omnes praedicti Regis Lale de Mangalor ferro et flamma devastabat.

62 Decima venimus ad Insulas Sanctae Mariae desertas et altera die in Barzelor, castrum Lusitanum, cui ad quattuor mille passus adiacet civitas magna paganorum muris cincta, in qua fanum est maximum multis mirandis rebus conspiciendum. Extat ibi candelabrum ex orichalco variis animalium figuris et campanulis multis confectum, altum ad 20 cubitos, in quo lampades plus quam 200 accenduntur. Sunt ibi idola varia lapidibus excisa, aere conflata et ligno sculpta. Intrinsecus tamen et in medio quasi cuiusdam obscuri antri simulacrum vaccae positum conspicitur cum igne sacro perenni; et singulis diebus idolum deauratum lecticae impositum cum cantis et tympanis maximisque clamoribus in atrio circumfertur, cui ex utroque latere binae mulieres flabello caudae vaccinae muscas abigunt. In atrio huius fani, et quidem in subliminiis videntur sculptae figurae, hominum utriusque sexus venereos ludos obscenissimis et impudentissimis modis tractantes, ex quo apparet gentes has Priapi cultores esse. Certis enim diebus convenit in hoc fano magnus numerus mulierum publicarum, quae omne lucrum, quod libidinosa venere faciunt, huic deo offerunt; atque ex hoc aluntur et singulis ex hoc atrio victus praebetur. Vidi etiam sedentes in hoc atrio multos Joges, qui sancti eorum sunt et Regem habent. Hi observant praecepta Pythagorae, quibus certis horis silentium impositum, scribentes in arenam vel sparsas cineres. Prorsus nudi sunt toto corpore, etiam pudendis, et discalceati, quod revera monstra naturae eminus apparent; quando nimirum illis horis, quibus silentium habent, tam immoti sedent, ut ne oculum movere videas unguibus digitorum longissimis, barbibus largis capillisque promissis, densis ac villosis et postitiis totoque corpore incinerati, ut non homines vivi sed statuae magis appareant. Eorum quidam sunt, qui per integrum diem stantes solem ab ortu usque ad occasum fixis oculis intuentur.

63 Decima tertia Februarii, relicta civitate paganorum Batecala, in Onor venimus, fortalitium Lusitanum. Terra autem Reginae Garcopan paret, quam Rainha de Pimenta vocant Lusitani, eo quod singulis annis magna copia piperis ab eadem eximitur. Et Batecalae degit, de qua et oryza multum in propinqua loca defertur. Notandum, quod supradicti reges omnes fere ex divisione regni Malabar, cuius metropolis Calicut, exorti sunt; qui reguli potius quam Reges nominandi.

64 Prima vespera sequentis diei Goam intravi. Ubi cum 10 dies constitissem, etiam praecipua loca Lusitanorum versus septentrionem ad Indum spectantia visitaturus, vicesima quinta eiusdem navim ingressus sum. Defectu autem remigum biremis nostra cum reliquis comitibus una ire impediabatur atque biduum Goae detinebatur. Quae res non parvum timorem nobis incussit, nam piratas in mari esse sciebamus



nec tamen profectionem diutius differre volui, ne propter anni tempus interclusus crebris tempestatibus Ormusum redire prohiberer atque in India hibernare cogerer. Unum restabat Dei omnipotentis misericordiae nos commendare, et si hostis nobis sese obtulerit fortior, suspensis velis, quo ventus intenderet, fugere. Itaque penultima Februarii abeuntes ea nocte venimus ad insulas, quas Ilhas Quemadas (id est arsas) vocant, quae desertae sunt, et ultima Februarii ad fanum iuxta litus maris exstructum, quod Pagodo dos Bequeros dicitur. Idolum est Priapi lapidei in terra cum membro erecto resupino iacentis, cui matres suas filias iam viro maturas vovere solent easque certo tempore illuc deductas idolo insidere faciunt. Matre a tergo filiam aversantem atque praesens vulnus reformidantem ex improvise deprimente, sic rupto claustro virginali, mulieres illae illi Deo sacrae ac, ut moniales, reliquis multo honoratiores habentur et perpetuam castitatem vovere ibidem dicuntur.

65 Prima Martii portum Sittapur intravimus. Municipium est paganis et Moris habitatum; atque in hoc tractu multi pavones et simiae sunt. Vidimus et mari balenam. Exin triduum Dabul appulimus, quo nullum Indi maius in toto litore orientali fortalium tenent, Regi Dialcan subiectum. Hic Lusitani olim nefario dolo circumventi miserabili clade caesi sunt. Convocati enim a Gubernatore loci et ut amici ad convivium invitati Capitanei et primores eorum - quippe omnes erant strenui milites, ventureri dicti, qui sua sponte sine stipendio Regis militabant - expositis ergo in terram militibus, omnibus libera potestas dabatur civitatem inermibus tamen intrare atque suo quolibet arbitrio merces emendi, quae consulto quam vilissimo pretio vendebantur; nihil ergo mali suspicantibus, ubi visum est, portae obserantur atque ii, qui in fidem recepti, armata manu obruuntur contraque ius gentium illa die quadringenti Lusitani sceleratissime ad unum interficiuntur.

66 Quinta Martii cepimus portum terrae Zifardan, ubi dicio Regis Dialcan finitur et provincia Regis Sahmaluk, vulgo Melike dicti, incipit. Hic Deus per misericordiam suam mirabiliter nos e manu piratarum liberavit. Nam prima noctis vigilia pleno velo portum intravit biremis una hostilis grandior ac non multo longe a nobis constitit. Quam inimicam esse ex eo cognoscendum erat, quia Christianorum naves numquam nocturno tempore in locis, quibus nihil negotii habent, nisi deficiente vento portum capere solent. Haec autem vento secundissimo portum cepit. Quare nos, quia armis et numero hostibus nos impares esse sciebamur (nam in eorum navibus cum suis propugnatoribus etiam remiges contra nos proeliantur, Lusitanorum vero remiges non captivi, sed aere conducti Mori et gentiles sunt), spem salutis in honesta fuga ponendam potius quam sine ratione dimicandum et temere una occidendum statuimus; quia etiam hostes, aut quod nocte illuni et subnubila biremem nostram, quae ad pedem promontorii stabat, videre non poterant, aut quod idem, quod nos, spectarent atque ideo nihil contra nos tentarent, secunda vigilia secessionem fecimus atque ex adverso litore portum tacite quantum potuit egressi sumus, quod rei veritate fugae speciem non parvam designabat. Sic sequentibus diebus binos portus cepimus, e quibus mane binae naves piratarum decesserant.

67 A quorum manibus ita per gratiam Dei liberati, octava Martii Chiaul intravimus, quae civitas Lusitanorum firmo praesidio munita est. Quam Melike, Rex Morus, qui ad ducenta hominum milia in campum producere potest, cuius regia Abdeneger octo dierum itinere a mari, undecim menses obsidione premebat acerrima. Quo tempore omnes principales Lusitanorum civitates et castella, ut sunt Goa, Ormuz, Malacca, Diu, Cananor et cetera simul obsidebantur ex consilio Serifis Regis Mecchae, qui Moris suae sectae asseclis in India persuadebat, si simul in pluribus locis tentarentur Lusitani, quo vires suas in unum contrahere non possent, perfacile esse eosdem superare non solum, sed etiam omnes ad internicionem delere atque ita Indiam totam in pristinum libertatis statum restituere. Quo consilio omnium animos in arma accendit, nam a cunctis tam Mahometanis quam paganis Regibus et Principibus Indiae bulla haec tam cupidis et attentis animis recepta tamque evidenti ac subita opera in effectum posita est, ut uno eodemque tempore omnia fere loca Christianorum bellis et incendiis arderent. Sed Deus pro sanctissimi nominis sui gloria Christianorum partes tuebatur, qui paucissimi in singulis munitioibus dispositi fortiter et strenue pugnantibus loca omnia (praeter unum Chale, quod Zamorino de Calicut pactis traditum) ab obsidionibus atque impetu hostium maximo heroica virtute vindicarunt. Extant in rei memoriam tormentorum pili lapidei mirandae magnitudinis in Chiaul, quorum ultra ducenti ab hostibus immisi et ad signum perpetuum muris impositi sunt.

68 Portorium hic est maximum, quo naves ex Ormuz, Meccha, Melinde, Mozambique, Malacca et aliis emporiis intrant, quae infinitam quantitatem bombycinae telae albae, depictae et impressae de Cambaia, oppii, andegi, bombycis serici, assae foetidae, verzin et lignum praesilii, borasi in pasta, multum ferri et frumenti et haec omnia ex Cambaia, item sandali, eboris, aromatum et medicinalium, telae sericae, porcellanae, holoserici et scarlatti de Portugal et Meccha deportant. Intrant quotannis hic de Cochinchina et



Cananor decem et quindecim naves onustae nucibus illis magnis et saccharo ex iisdem nucibus confecto giagra vocato. Mori civitatem suam Chiaul "enzima" huic prope habent, quae et ipsa portus maris est. Belli tempore autem nullae naves moriscaae portum hunc capere possunt, eo quod iis passus a vicino fortalio Lusitano, qui huic prope est, intercluditur. Et conficiunt hic multum serici. Item e conchis margaritarum et tanta, quae †eius† ossibus, multa pulcherrime elaborata vendunt. Et quia iter pedibus recessu oceani aqua et luto impeditur, constituti sunt baiuli, qui homines humeris exceptos ad tria milia passuum fere ex una in alteram civitatem portare solent. Danda insula parvola pagana muro cincta et medio colle castro firmissimo tuta multisque bombardis provisa ad 6 léguas versus austrum videt continenti proxima.

69 Decima Martii in comitatu decem et sex biremium e Chiaul in Bombayn veni. Turris est in litore maris, quae portum eius terrae defendit, quemadmodum et in Tana, insula parva, sed bene populata Christianis, Moris et gentilibus; unde oryzam, telam de lana et lino gingan vocatam, quam Mochaio similis nigram et coloratam faciunt. Duodecima veni in Bassein, castrum magnum Lusitanorum, ubi plerique nobiles degunt, quos fidalgos nuncupant. Terra haec multas villas sub se habet, quibus Lusitani tempore pacis fruuntur. At belli tempore continuis excursionibus ita devastantur, quod parum aut nihil commodi ex iisdem capitur. Ceteroquin frumento et oryza, item ligno ad faciendas naves abundat. Naves enim et triremes et navigia fere omnia hic conficiuntur. Et quia Prorex cum classe tum temporis hic erat, qui loca septentrionalia lustrabat, neminem Capitanei nostri naves descendere passi sunt. Sed noctu abeuntes, sequenti luce Danu municipium attigimus, ubi unus ex nobiles seu fidalgis domum praegrandem castro similem inhabitat, quam tempore belli Magores obsidebant; et quia nulla subsidia sperabat, herus eam hostibus dedere constituit. Quod uxor animadvertens atque vehementer illius inculpans pusillanimitatem "Nequaquam", inquit, "hostibus ludibrio erimus, sed ad extremum vitae spiritum pugnemus potius, quam nos dedamus!" Et arreptis armis ipsamet cum suis ancillis et mulieribus bombardas disponere pilosque emittere, pulvere confectas ollas ignitas hostibus obicere et magno animo atque constantia hostium impetus propellere conata est adeo, ut domum obsidione et expugnatione liberarit. Quo facto tantam famam consecuta est, ut iam cuncta negotia mariti omnesque naves suae non nisi sub nomine mulieris, quae Donna Joanna vocatur, exeant atque negotientur.

70 Quartadecima veni in Daman castrum et civitatem novam Lusitanorum in territorio regni Cambaiae positum, de cuius terris et villis consimiliter ut de Bassein nil aliud quam oryza et frumentum colligitur. Hic oceanus sinum parvum ad sexaginta leucas aquilonem versus, in cuius litore interiori Cambaiae est, efficit. 16 veni in Surrati, ubi ostium fluminis Tapetii vocati est. Extra portum hunc quotannis Mori navem unam in mari constitutam mercibus e Cambai onerant et certo tempore advenit alia navis e Taprobane (quae et Zamatra et Datschein Indis dicitur) mercesque ex illa in hanc quam citissime imponuntur ita, ut spatio unius diei et noctis expedita abire possit. Quod fit propter capitales inimicitias inter Lusitanos et praedictam insulam. In quo reprehendenda mihi videtur Lusitanorum negligentia, qui tantam occasionem tam facillime intercipiendi navem hanc toties tam negligenter perdere solent. 17 veni in Gandar, paganorum civitatem, in qua et Lusitani negotiantur.

71 Sequenti die Cambaiae intravi, qui portus principalis regni Cambaiae est, cuius civitas regalis Amadavar unius diei et medii itinere distans a mari. Regnum hoc est magnum et paenultimum Indiae versus occidentem, quod ex illo latere Indus fluvius praecingit. Hoc Porus Rex ille potentissimus possidebat, quem Alexander Magnus ad Hidaspen fluvium vicit; Et hic iter suum victoriosa manu tamquam Rex mundi (invitus quidem et quia milites sui ulterius progredi recusabant) terminare voluit. Nostra aetate autem obtinebat regnum hoc Soldan Bhadur, qui a magno Magor victus et tributarius factus; eiusque filius, vasallus Magoris, hic residet. Quem aliquoties aureo tulipano capite cinctum equitare videbam, interdum etiam binis tauris vehi, quos hic recreatione regebat, comitatus elephantis duobus ornatis itemque equitum peditumque et aliorum Satrapum simili genere currus vectorum numero quam plurimo. Terra haec plana est omnis et conficiuntur carri binis rotis lignoque eleganter ac leviter elaborati atque depicti, quibus bini homines commode assidere possunt, tertia persona ex adverso tauros agente, qui pari velocitate, si opus est, passum equorum fere adaequant. Hi non aliter atque equi nostri lavando frigandoque tractantur; his auro et argento collum et cornua circumdant. Quae res mira mihi visa est videre boves tam magnos, tam delicatos et formosos equorum usum obtinere, quibus iunctis non solum in carris uti, sed et impositis sellis insidere iisdem ac veluti equis notata itinera perficere consueverunt. Alius modus iter faciendi est in India: conducuntur octo baiuli, qui mutatis vicibus hominem lecticae impositum quaterni nocturnis diurnisque itineribus, exceptis paucis horis medii diei, ubi propter solis aestum umbras et frigora captant, de loco in locum portare solent.



72 Cambaiete emporium celeberrimum est in regno Cambaiae ad Indum spectans, castro firmissimo munitum, ubi mercatura exercetur quam maxima et singulis novi et plenilunii diebus biremes et navigia minora intrare et exire possunt. Navibus grandioribus huic sinui appropinquare omnino nefas est propter vadosa maris, quae transitu hic sunt perangusto, et quod crebras mutationes aestuum magno impetu irrumpentes navigiaque, quando in ancoris stantia, corripiunt atque evertunt; quod maccareo de Cambaia vocant. Universa autem navigia recessu oceani limo haerent, ac tunc ad spatium duarum leucarum quasi litus limosum et sine aqua relinquitur hominesque ex adverso sinus litore pedibus huc iter faciunt, quod accessu maris non nisi navigiis fieri potest. Invehuntur navigiis illis in hoc regnum omnis generis aromata, margaritae, sericum de China, sandalum, ebur, lignum Bresili, holosericum, multa panina de Meccha, cechini vel ducati aurei et diversae merces aliae. Exportantur iisdem infinita quantitas telae bombycinae albae et coloratae, anil, andegi, zinziberis, mirabolani sicci et conditi, boraso in pasta, saccari, bombycis, oppii, assae foetidae, puchio aliaeque merces; item gemmarum vulgarium, ut sunt turbiti, carnioli, granati, agati, diaspri, calcedonii, ametisti, hyacinthi et adamantes quidam naturales; et haec navigia et biremes deferunt merces has interdiu Chiaul et Goa, ubi naves magnae onerantur, comitatae, ut semper, classe Lusitana, quae eas ab insultibus piratarum defendit. Et notandum, quod Cambaiae regnum est tam grandissimi negotii et contractus, ut, si quis mercator viginti vel triginta mille ducatos adferat, spatio quattuordecim dierum merces suas pro iisdem in navibus impositas et expeditas habere possit sine ullo suo labore vel molestia; idque per homines fidatos, sensaros dictos, paganos scilicet et ad id deputatos.

73 Forum habet Cambaiete triplex et novem portis praegrandibus divisum, in quo ad trecenta mercatorum receptacula, cui nullum in India est comparandum. Negotia et contractus hora vespertina incipiunt ac secunda vigilia noctis terminantur. Nulli Christiani hic habitant praeter tres Armenos, qui vinum de passis uvis et porcellanas vendunt. Extra oppidum locus amoenus est fructiferis arboribus et puteis confertus; in medio huius piscina vel lacuna regia, quam tangui vocant, quadrata et maxima, ad formam theatri innumeris scalis circum confectis aliisque aedificiis ad voluptatem extractis. Vidi in hoc regno amygdala sicca monetae usum obtinere, et 26 una sabaia, cuprea moneta, valent, quarum item 26 larinum faciunt; ac ita larinus sescentum et septuaginta amygdalis constat. Quibus, ut in Bengala conchulis illis, omnia edulia comparari possunt. Invehuntur in hoc regnum quotannis ex Aethiopia e Melinde ultra sex mille quintales eboris, quod marfin Lusitani vocant. Hoc totum excepto paucis, quod Chinam defertur, efficiendis pro mulieribus Baneanorum maniliis consumitur. Mos enim est eis, ut in morte parentum vel amicorum ad testificandum luctum mulieres omnia illa manilia, quorum quaeque ad minimum viginti habent, frangant et confestim nova sibi parant. Erat tempus festi paganorum, cum Cambaia essem. Quapropter habitum et ornatum feminarum eius terrae maxime spectare placuit. Nam in viris praeter turbinatum caput paucis candidissimae bombycinae telae spiris involutum vestesque pretiosissimo bysso confectas nihil, quod ad luxum pertineret, videre potes. Hae auro atque argento gemmis et margaritis toto corpore, capillis, auribus, naso, collo, brachiis, digitis, pedibus pedumque digitis tam onustae incedebant, amictae pannis sericis tam vivis omnium colorum speciebus elaboratis, ut, si umquam illius, certe huius vanitatis maxime memoriam depictam habere desiderarim. Quarundam auriculae perforatae impenso plumbo paulatim ita late distenduntur, ut cyclos aureos argenteosque tam largos circumdent, qui pugnum unius manus facile capiant.

74 Et quia tempus fert, dicendum aliquid est, ut superius promisi, de Baneanis. Ac primo sciendum est, quod religiosi de India Bramanes dicuntur, qui proprie gymnosophistae illi sunt, qui eosdem vestitus habent, quos scriptores notant. De quibus Arrianus de gestis Alexandri Magni scribit: Alessandro pigliò un' altra città de gli Indiani, che si era ribellata da lui, uccidere quanti Bracmani che li vennero in mano - quasi sono tenuti savi de gli Indiani - perché erano incolpati che per loro persuasione si fusse ribellata quella terra. Id est: Alexandrum aliam ab Indianis, quae ab illo defecerat, cepisse civitatem in eaque omnes, quotquot occurrebant, interfecisse Bracmanes, qui apud Indianos singularis sapientiae famam tenent, eos rebellatae civitatis auctores et populo persuasores fuisse inculpans. His iungi possunt et Baneanes. Eorum sunt diversae species et hoc tempore magis mercaturae quam religioni vel libris incumbunt. In hoc tamen omnes consentiunt, ut nihil nec occidant nec comedant, quod animam et sanguinem habet ita, ut propriae munditiei apud se procreatae pediculi et pulicum parcant, immo propter colorem sanguinis etiam rubicundis cibis abstineant, item vino, aceto, allio, cepa, raphanis. Palingenesian credunt, ut quod mortuo bono homine anima eius in alterius eadem hora nati corpus, mali vero in canis vel alterius bestiae corpus transmigret.

75 Bramanes quidem maiori dignitate habentur quam Baneanes, quod Regibus adstant. His legatorum, cancellariorum, quaestorum et similia officia tribuuntur et sacerdotes sunt. Mulieres Bramenum de Calicut communes sunt, sed non nisi amicis et propinquis mariti cuiuslibet. Hi boves et aves emunt ac



manumittunt, quod in Cambaia vidi; formicas saccaro pascunt dicentes, quod pauperibus elemosinam faciant. Vasa aquae iuxta domos in altum constituunt ad bibandum passeris aliasque volucres. Vidi in Cambaia xenodochium in usum volucrum et animalium institutum, in quo aegre valentibus medentur et iam sanos avolare dimittunt. In hoc psittacos, columbas aliasque aves, item simias et hinnulos vidi. Ditiores qui sunt, certam summam pecuniae post mortem relinquunt, pro aqua proficiscentibus distribuenda.

76 Post hos aliud genus est scribarum, qui reditus annuos Regum et pecunias cogunt. Hi Paruus dicuntur. Piannies milites sunt solo stipendio viventes. Hos sequuntur mercatores Coaris dicti, et in Cambaya Esparzis vocantur, quod ex Persia oriundi propriam litteram et linguam habeant. Quorum si quis moritur, cadaver non per ianuam consuetam, sed rupto muro per novum foramen effertur. Mortuos sedentes ortum versus sepeliunt. His caro porcina libera, vaccina vetita. His in re ardua iuramento obstrictis vaccam mactare necesse est; ex uno latere vaccae igne, ex altero aqua sumptoque cultello dicit: "Quemadmodum vacca haec circumdata igne et aqua et ferro per me iugulari potest, ita eveniat animae meae et ita patiatu igne aqua et ferro, si false iuravero." Qui agriculturam exercent Curumbis et qui solis hortis praesunt, Malis dicuntur. Deinde aliud genus hominum est despectum, quibus omnes decedunt, aditumque contactumque defugiunt. Hi Deres et Farahes dicuntur et promiscue omnibus cibis mundis et immundis vescuntur omniaque servilia officia in domibus praestare tenentur.

77 25 Martii, die annuntiationis Beatae Mariae, relicta Cambaya Gogam veni, municipium paganorum, ubi partem classis Lusitanae operimus, quae praetereuntes naves ab iniuriis latronum defendit, quibus in propinquo castro Morisco Castileti vocato receptus datur. Triduum post insulam Diul intravi, in regno Cambaiae positam, quae a continenti ad duo mille passus abest. Castrum et civitas in hac insula Lusitanorum est, quo maius nec firmitus in India non habent fossis vivo saxo incisis. Portus bene securus, cuius ingressum turris medio mari erecta praemunit. Portorium hic magnum et naves, ut plurimum ex Ormuso, Meccha, Chiaul et Goa, hic intrant. Merces navigiis et biremibus e Cambaia huc advehuntur, propterea quod naves grandiores sinum Cambaiae intrare non possunt. Soldan Bhadur, Cambaiae Rex, donavit hac insula Maris Capitaneum Lusitanum Martinum Alphonsum, qui oppidum et fortalitium fundavit, quod anno 1539 Turcae classica obsidione et anno 1546 Magores terrestri expugnatione vehementissime tentarunt. Quorum binos impetus Lusitani fortiter sustinuerunt.

78 Notatum hoc factum Lusitani Baronis insigne: Cum Prorex Indiae cum classe adesset, accidit, ut indutiarum tempore Rex Cambaiae Soldan colloquium et accessum Proregis peteret, cui ipse (quod alio modo nullo fieri posse videbat) per traditionem et insidias manum inferre constituerat; id quod Prorex vel per exploratores clam rescivit vel divino motu suspicatus est atque ideo rem sic ordinare coepit, ut ipse armatus sub veste adventum Regis pagani in classe constitutus expectaret, Capitaneis vero et fidalgis maioribus sibi ad latus praesentibus id, quod suspicaretur, in secreto detegeret. Adventante igitur Rege atque scaphis in nave excepto cum pauca quaedam verba faceret manumque pugioni sub veste abscondito paulatim adhibere inciperet, praedictus Baro praevenire Regem melius quam praeveniri Proregem statuit et, extracto subito pugione suo cum Regem ad eiusmodi casum et eventum paratum et sub veste similiter armatum inveniret seque pugione frustratum esse conspiceret, heroico strategemate usus est atque medium Regem amplexus fortiter, qui et ipse armatus erat, cum eo de alta navis puppe in profundum maris abyssum sese praecipitavit. Quorum neuter umquam posthac apparuit.

79 Indus fluvius excepto Gange omnium Indiae maximus, ex monte Parapamiso oriundus ostio minori aquas suas hoc mari immiscet. Alterum ostium maius ad centum leucas ab hoc abest versus occidentem in regno Dulcinde, quod vulgo Sindi appellatur. Quae terra, ut Bengala, bombyce et oryza abundat, ubi tela finissima in maxima quantitate conficitur. Est autem super hoc flumen tam infinita copia omnis generis volucrum aquatiliu, praecipue gruuum ardearumque, ut Veneti mercatores non sine vulgari lucro loca haec frequentent, qui pennas magno numero coemunt atque in suas terras deportant. Lusitani hactenus hunc quaestum non curant.

80 Vespera diei Paschae, qui erat vicesimus primus Aprilis, conscendi navem quae Ormusum ibat. Qua navigatione Indicum iter terminare atque Ormuso per Persiam Hierapolim et in Terram Sanctam, exin quam primum Constantinopolim reverti constitueram. Sed cum duplex sit tempus navigandi ex India in Arabiam, primum et magis conveniens mense Novembre, alterum mense Aprile, quod monzao grando appellant, eo quod prior navigatio viginti vel viginti quinque diebus, hoc propter ventus adversos quinquaginta diebus et duobus mensibus interdum vix absolvi potest - et propterea necesse est, ut naves de Goa et Chiaul, quae ex altitudine poli quindecim et sedecim graduum exeunt, in altitudinem insulae Seilan, quae est sex gradus, naves vero de Diu altitudine viginti in altitudinem insulae Zacatora, quae est undecim gradus, cadant, idque propter maximas tranquillitates, quas calmarias vocant, quae tum in eo mari sunt. Quod si naves, antequam



ponentes vel Zephyri venti occidentales flare incipiant, certam altitudinem poli non attigerint, in maxima discrimina incurrunt. Coguntur enim sine ullo remedio Indiam reverti, ubi tum propter regnantem hiemem mare continuis et maximis tempestatibus procellosum et inquietissimum est ita, ut magno lucro apponendum sit, si quae naves tum salvae evadunt. Quae enim non a tempestatibus dissolvuntur, ruptis velis et malis cum summo periculo interdum terrae hostium appellunt. Ubi, quod maris furor intactum reliquit, hostilis impetus absorbet. Adde quod statim ineunte hieme, mense Maio videlicet, ubi australes et occidentales venti flare coeperint, omnes portus maris exceptis tribus transitu harena<e> implentur ita, ut naves, etiamsi a maris periculo terrae incolumes applicuerint, portus tamen intrare minime possunt et necessario naufragii periculum subire coguntur.

81 Huic malae sorti et me fortuna reservaverat. Cum enim quadraginta duobus diebus navigando ventis tam contrariis in altitudinem trium graduum cecidissimus, ubi in tanta tranquillitate maris aestum solis maximum perpessi sumus, litori Aethiopico, quod Costa de Melindi vocant (longe a tergo iam relicta ora Arabica et freto Rubri Maris) tam vicini fuimus, quod singulis horis terram videre et ancoras iacere sperabamus, cum colubri vel serpentes illi, de quibus superius facta mentio, item aves et alia signa terram indicantia iam saepius apparuissent. Sed idem, quod omnes ea navigatione timent, nobis evenit. Nam facto novilunio favoni venti tanto impetu irruerunt tantaque furia flare continuarunt, quod illico praecisa nobis omni spe absolvendi iter hoc proram navis vertere ac Indiam nos maxima cum animi perturbatione redire coegerunt. Ubi praeter saevissimas tempestates, quibus nos opponere necesse erat, etiam id metuendum erat maxime, ne, si per sortem naufragium evitassemus, ad litus hostile regni Calicut detrusi vitam pariter et navim cum mercibus perderemus. Quapropter, omni spe salutis in dubio, lacrimis duplici morti nos accinximus et navigando novem dies et noctes tam crudeles tempestates sustinuimus, quod de vita nostra singulis momentis actum esse putaremus. Tandem ruptis velis, fractis antennis, inciso malo grandiori et eiectis in mare mercibus quam plurimis ceterisque a largissimis pluviis contaminatis et pudrefactis decima die novilunii postquam redire ceperamus, quae erat dies Sancti Viti, Deus per immensam misericordiam suam nobis ostium fluminis cuiusdam magni e Carapatan, terra Regi Dialcan subiecta, profluentis ante oculos posuit. Qua leniter flante favonio salvi intravimus. Dicitur autem non potest, quanta fuerit laetitia nostrum omnium, qui nos e duplici mortis periculo liberatos atque iterum quasi renatos et in terra pacifica appulsos esse videbamus. Siquidem certum postmodum compertum est, quod e quattuor navibus, quae nobiscum exierunt, duae submersae, una in cursu litore Indico prope Damam defecerat, quarta Panani in terram hostilem Calikut repulsa; quae ab hostibus capta subito ac spoliata, et universi Christiani in ea trucidati sunt. Non parum etiam nobis ad salutem profuit, quod statim, antequam maior tempestas inciperet, utraque vela superiora cum malis et antennis ac gabiis, ut vocant, deposuimus; siquidem tum periculum in mora maximum esse certum est. Omnes nautae autem et reliqui maris periti dicebant, quod ille annus erat Tufonis.

82 Hoc ut melius intelligatur, sciendum est, quod in India magnae tempestates non ita crebro fient, sicut in nostris maribus, sed singulis denis, undenis vel bisseis annis tempestatem unam fieri ultra modum terribilem et tremendam, quae non 24 horas, ut ceterae, sed tres et plures dies et noctes interdum duret, neque certum praefinitum tempus sciri, quo anno et quo mense fieri soleat. Et vae tum illis navibus, quae navigant! Quae nisi novae et fortissimae sint, servari absque singulari gratia divina non possunt. Et tunc Tufonem etiam nos experti sumus. Cum vero iam in portu securo nos esse arbitraremur, fortuna praeteritis non contenta mox nocte sequenti in aliud periculum nos induxit. Exorto enim vento grandissimo navis a refluxo maris, qui violentissimus erat, de repente correpta ac ruptis et amissis ancoris hinc inde iactata denuo spem omnem salutis et vitae nobis eripuit. Quod nisi unam adhuc ancoram superstitem habuissemus, quae iacta confestim, navis haud dubio vicino litori scopuloso illisa ac disfracta esset.

83 Quare cum biduum post in tuto collocaretur, conscensa scapha adverso flumine in Karapatan civitatem cum castello parvo Moris et paganis habitatam et tres leucas ab ostio distantem defectus sum. Ubi cum quodammodo salo nauseaque confectus aliquantulum a praeteritis laboribus et molestiis refectus quadriduum quievi. Hic Indus senex quidam hospitio me excepit familiariterque suo more tractavit. Quippe Indos gentiles universos non pati, ut Christianus vel Morus vasa vel cibaria sua tangat, superius dixi. Quapropter meam portionem oryzae vel pultis decocti, quod gitscheri vocant (nam hi nec carne nec piscibus nec pane vescuntur), ad partem semper folio ficus exceptam seiunctus comedebam. Aquam etiam, quia proprium scyphum non haberem, non admoto labris vase ex alto ori infundebam. Qui modus bibendi Lusitanis quoque, praesertim maribus peculiaris est; quemadmodum et coclearium usus nullus apud Indos; quod si ius est, sorbent, oryzam et reliqua edulia quamvis tenuia digitis excipiunt inclinando caput super patinam, nec contra civilitatem existimant id, quod ore exciderit vel digitis haeserit, rursus patinae inicere.



Vidi hic ridendos gestus mulierum saltatricum, quorum in Aegypto et Arabia vidi di simillimos. Sic et planctum feminarum paganarum in cremando mortuo cernere licuit, ubi peracto funere mulieres vicinae in domum defuncti conveniunt atque inde in plateis pectus pugnis tam fortiter percutere incipiunt clamantes semper "Valy, Valy", multoque spatio in domo id factitant, quod earum strepitus longe auditur.

84 Non praetermittendum puto dicere de igne sancto, qui nobis una nocte in maxima tempestate apparuit. Hunc Itali Sant'Elmo et "fogo santo", Lusitani "corpo sancto" appellant. Est autem flammula ignea, quae super malum navis fertur. Haec si in maxima tempestate apparuerit, omnium animos reficit et exhilarat. Longa enim experientia iam certum est, quotiescumque ignis hic in quavis magna tempestate super unam navem solummodo conspectus fuerit, quod nulla earum navium submersa est. Vidimus et paucos dies post discessum nostrum de Diu inter alia monstra maxima cete sive balenam, quae ex foramine, quod in superiori parte corporis tenet, maximam copiam aquarum in sublimes auras spargit. Hae autem non nisi mari tranquillissimo apparent.

85 E Karapatan Goam proficisci et residuum hiemis in India absolvi necesse erat. Quare cum in hac terra nec plaustrorum nec camelorum omnino nec asinorum nec equorum copia sit, et sarcinas maiores, quae bovis accomodari non possunt, bini et quaterni baiuli deportent, conductis aere bovis, quibus hic et aliis in locis ut equis utuntur quique ducenti et trecenti interdum merces portare solent mercatorum, quemadmodum in Persia et Turcia camelorum et mulorum cafilae et caravae; - his igitur impositi sub comitatu Lusitanorum quorundam et Indorum penultima Iunii discedens biduum post Chetura veni, municipium magnum ad fluvium positum, inde altera die in Banda, pagus magnus cum castro, et is ad fluvium positus. Hos fluvios et alios rivus, quorum permulti et propter anni tempus a largissimis pluviis (nam in Indica hieme quattuor menses quasi continue pluit) valde inflati erant, magnaue difficultate saepe numero transivimus. Ceteroquin terra haec tempore pacis iter facientibus securissima est, ubi in singulis pagis et villis milites cohortim a Rege distributi sunt, qui proficiscentes a latronum iniuriis defendunt.

86 Quinta Iulii Goam intravi, ubi mercator Venetus reddidit mihi litteras e Constantinopoli ab Oratore Caesareo et ex Aleppo scriptas. Atque hic hiemis tempus mire iucundum et temperatum licet parva cum animi delectatione absumpsi. Pluviae enim his terris sunt calidae et suavissimae, de quibus videntur omnia. Ibi homines in hortis degunt, qui rivulis irrigantur delectabilibus, e quibus aquam in scrobes collectam lavacra faciunt, quam tanque vocant. Ubi in singulis singulae familiae conveniunt lavantes et genio indulgentes. Hic cantus et musica guiterna scilicet Lusitanis vulgaris. Praecipue tamen vivae voci student; quia omnis generis instrumenta musica praebeas, si cantator absit, musicam esse negant. Habent ad id edoctas egregie puellas suas Bengalas, praesertim mancipia ita, ut maior recreatio et voluptas in India hiemis tempore sit. Aestate enim plerique rivi et vireta aestibus exarescunt nimioque calore solis homines eiusmodi festivitates exercere prohibentur. Ceteroquin Indicus aer valde temperatus caelumque perclebens est, aquae saluberrimae. Nullum etiam ibi solstitium et ratio horarum diei et noctis semper aequalis, utraque scilicet duodenarum est. Idque omnibus in locis, quae ab aequatore vel a linea aequinoctiali in decem gradus utriusque poli posita. Quae vero in 20 usque iacent, in illis differentia solstitialis non plus integra hora est.

87 Venerat mense Octobre clericus quidam natione Graecus secumque attulerat munera quaedam praeclara, ut peristromata melioris notae, lapides paizar, adamantes, muscum et alia, quae Acobar Rex, Magnus Magor dictus, pro elemosyna ad Scholam Sanctae Misericordiae Goam miserat una cum litteris suis ad Proregem datis. Quarum tenor erat: Se iam multos annos de salute animae suae valde dubitasse magnoque desiderio desiderasse cognoscere, quatenam sit verae via salutis, siquidem neque in lege Mahometi neque in lege Moysi, multo minus in vanis paganorum et gentium superstitionibus salutem eam perspiceret. Denique sine dubio ullo per illuminationem spiritus divini cognovisse se nullo alio modo salvum fieri posse quam in fide Christi; atque itaque magna instantia petere, mitterentur sibi Patres quidam sancti, a quibus religionis Christianae formam ediceret. Se cum filio suo atque uno de suis Capitaneis maioribus paratum esse sacrum baptismum recipere expresse dicens: mitterentur patres mansueti ad convertendum et erudiendum populum barbarum. Quibus litteris acceptis et intellectis tres confestim a Prorege Patres Iesuitae ablegati sunt. Hi quid divina mediante gratia proficient, eventus demonstrabit. Est vero praedictus Rex Acobar omnium Indiae potentissimus. Cuius terrae ab Indo ad Gangem usque distenduntur et a duodecim in quinquaginta gradus septentrionem versus protenduntur, de quo superius dictum. Cum Schola autem Misericordiae sic se habet: Ordo saecularis a Rege Hispaniensi institutus est, qui se Fratres Misericordiae appellant. His imprimis et ante omnia septem opera misericordiae exercere curae est, ut alere orphanos et viduas, redimere captivos. Habet schola haec ad id annuos redditus haud vulgares, quos thesaurarius administrat, qui singulis mensibus cum praefecto et quibusdam Fratribus



Misericordiae de domo in domum viduis pauperibus pecunias distribuit. Sic et orphanorum bona misericordia recipit, e quibus aluntur. Recipitur in hunc ordinem quisquis sive nobilis sive plebeius, modo non sit de numero eorum, quos Christianos novos appellant, qui Iudaei fuere ad fidem Christi conversi. Iudaeis vero tota prope Lusitania olim repleta erat. Cum vero Philippus Rex eam subigeret, multi propter bona temporalia fidem susceperunt, plurimi Constantinopolim atque in alias Turcicae ditionis terras profugere. Sunt vero permulti adhuc, qui sub veste Christiana intrinsecus Mosaismum exercent. Qui si ab Inquisitione deprehenduntur, focus illico praesto est.

88 Goae confecta hieme iter meum Lusitaniam versus institueram. Fuit vero annus nonagesimus navigantibus adeo infaustus, quod eodem permultae naves naufragio perierint, plures repulsae, paucissimae iter suum feliciter absolverint. Quemadmodum et Lusitanarum nulla Indiam advecta est, id quod numquam accidit ab eo ipso tempore, quo primum Lusitani Indiam tentarunt. Quapropter et institutum iter mutare necesse fuit. Interim egregia Indica quaedam, quae in regno Bengala et Cambaya singulari studio domum portandi gratia mihi compararam, necessitate coactus vendidi. Unum hoc scito, quod silentio praeterire nefas, immo ingratitude vitium foret maximum, me in India a Ferdinando Cron Augustano Domini Ioannis Fuggeri in contractu piperis vicem gerente tantis beneficiis ornatum, ut sibi et suis omnibus omni gratitudinis genere perpetuo me devinctum esse cognoscam; siquidem priori navigatione me Goae advectum non solum in domum recepit suam, verum etiam et consilio et re iuuit. Immo eius promotione Bengaliam vidi, eius intercessione, cum iterum infausta navigatione Indiam repulsus essem, Prorex concessit, ut sine ullis meis sumptibus in comitatu suo Lusitaniam irem, et cum eo anno nullae naves e Lusitania appulissent, idem Prorex eiusdem promotione quingentos larinos viaticum dono dedit innumeraeque alia beneficia mihi praestitit. Quae omnia huic uni accepta referenda sunt. Hoc certe homini peregrino in terra aliena magnum est solatium benefactorem tantum experiri, cum quo praesertim antehac nulla nobis intercesserat notitia vel familiaritas. Multoque pluris aestimo viri huius summe de me meriti beneficia quam omnia parentum et consanguineorum officia, siquidem illi, quod fecere, lege naturae id requirente vel naturali *στοργή* movente debita coniunctionis officia praestitere, hic vero nullo sanguinis iure obstrictus, nulla familiaritatis vel meritorum necessitudine devinctus me hominem sibi ignotum quam plurimis beneficiis accumulavit, quae Deus Optimus Maximus divina sua gratia et benedictione recompensare possit.

89 Sed ad institutum iter revertar. Goa 26 Augusti biremem conscendi, quae in Sancti Thomae insulam ibat et prima Septembris promontorium Comori transivimus. Inde quadriduo superatis vadosis illis de Chilao octavo eiusdem Mussipatan appulimus. Civitas maritima est in litore illo, quod Costa de Chiaramandel appellant, Moris et gentilibus habitata, ubi pauci Lusitani negotiantur. Hic relicta bireme 10 Septembris navem intravi ventisque bene secundis decima quarta die post Cosmin portam regni Pegu intravi. Et sciendum est, quod e Mussilipatan et São Tomé naves semper ad octavum, nonum vel decimum Septembris abire necesse est, quod si uno saltem die serius navigant, periculum totius itineris perdendi incurrunt. Sunt enim ibi tum venti occidentales praefixi ad certum tempus, cum quibus usque in Pegu semper inflatis velis (vel ut Itali dicunt "in poppa") itur. Quo neglecto tempore et si non, priusquam venti mutantur, litori Peguico tanto approximaverint, ut fundum ancoris petere possint, omnis opera persa est et sine ullo remedio reverti coguntur, quia tum venti orientales tres et quattuor menses continuo flare incipiunt ita, quod periculum in mora maximum est.

90 Cosmin civitas centum leucas ab ora maritima iuxta magnum flumen posita est, quo quarto itinere cum crescenti mari devecti sumus. Ibi exonerantur naves. Quibus perquisitis et annotatis singulis mercibus per decimatores atque iterum aliis naviculis impositis, adverso flumine spatio octo dierum in Maccao pagum venimus semper tamen crescente ut reciprocante mare, quod hoc amne operatur. Et alternis sex horis, quando mare decrescit, naviculae ripis alligatae ad incrementum maris expectant. Navigatio haec commodissima est. Ex utraque ripa villae plurimae et maximae, in quibus gallinae, ova, anseres, anates, columbi, lac, oryza in magna abundantia cum fructibus variis. Regio omnis plana et fertilissima. E Maccao duodecim milliaria Italica merces carris a bovis vectis Pegu civitatem intrant. Mercatores lecticis impositi singuli a quattuor baiulis, bini alternis vicibus se permutantes, currendo quasi portantur. Lecticae illae, quas delingi vocant, non sunt ut palanchini Indiae, sed pannus capax fuste alligatus, in quem reclinatus homo suppositus capiti pulvinari coopertusque a sole et pluvia tutus et securus ad placitum dormire potest. Omnes merces et singula, quae habent mercatores, diligentissime et accuratissime tribus locis revidentur et annotantur, idque propter adamantes, margaritas et telam finissimam, quae exiguo loco abscondi possunt, et caveat mercator, ne minima in re fraudulenter agat. Quod si in minimo deprehensus fuerit, omnibus bonis suis privatur absque ulla gratia. Rex enim in ignominiam et contentum sui hoc factum



alligat. Quare omnes gemmae et margaritae, quae invehuntur in regnum nec in eo nascuntur, decimas pendent. Rubini vero, spinelli, safiri, quos regnum profert, nec exportati nec importati in regnum quicquam solvunt. In civitate Pegu, ut et in aliis locis Indiae non sunt hospitia publica, quemadmodum in Turcia, sed, quocumque veniunt, mercatores omnibus necessariis utensilibus vel secum portatis vel ibidem coemptis domum vitare ad mensem vel per moson, ut dicunt, idem ad sex menses necesse est.

91 Tertia die Octobris civitatem Pegu intravimus, quae duplex est, vetus et nova. Veterem omnes mercatores peregrini ut terrigeni etiam inhabitant, et ibi commercium est maximum. Civitas per se non admodum grandis, sed suburbia maiora habet. Omnes casae arundine factae, foliis ac stramine tectae sunt. Domus, ubi merces imponuntur, praegrandis latere cocto propter crebra incendia exstructa. Rex cum satrapis et nobiles novam civitatem tenet, quae veteri multo maior, forma quadrangulari constructa, muris cincta cum fossis aqua plenis, in quibus etiam crocodili, viginti portas habet nullis pontibus levatoriis, singulo latere urbis quinque portas habente. Inter has multae stationes excubiarum e ligno factae, et desuper inauratae. Plateae civitatis omnes aequales et latae et directae, ut stando sub una porta ex diametro altera opposita sit, et ita largae, ut decem equites iunctim unam transire possunt. Ante portam cuiuslibet domus plantati sunt arbores palamar aequali ordine, quae gratas umbras praebent. Domus illius urbis lignae cooperte di coppi fatte in un soler assai boni alor usati. Palatium Regis media urbe positum fortalio murato simile cum fossis aqua plenis est. Interiora habitacula ligno fabricata et inaurata cum quibusdam pyramidibus praeclari operis et omnino deauratis auri folio. Intrando primam portam arcis area maxima est, in qua ex utroque latere elephantorum stabula principalium, qui regio servitio destinati sunt. Separatim autem binis stabulis forinsecus deauratis duo elephantum, albus unus et alter niger, hic ob nimiam magnitudinem, quia novem cubitus altus est, ille ob raritatem coloris summo studio aluntur et victus illis ex auro argentoque ministratur.

92 Hic Rex merito inter maximos et potentissimos Indiae recenseri potest, cum illum quandoque quindecim centena milia hominum et quattuor mille elephantum in hostes exire fama est. Elephantum casae lignae imponuntur, quibus ex utroque latere bini milites telis, lanceis et sclopetis pugnant; quintus collo insidens bestiam regit. Dentibus acinaces magnos ferreis cyclis alligant, quibus, quidquid obviam venit, tamquam falce secant. Iniecto tamen igne, pulvere et pice confecto saepissime in fugam vertuntur et nimium irati tam in suos quam in hostes saeviunt. Modus venandi domitandique elephantum in hoc regno prosus mirabilis et rarus est. Et licet ipse eiusmodi non interfuerim, a fide dignis tamen relatas describam. Abest ad duo miliaria Italica a civitate palatium satis magnum, multo auro obductum. Interius area maxima, quam circum ¶cisa¶ stationes firmatae e ligno fortissimo factae ambiunt. In quibus plurima gens secure stare potest, qui ludum spectare volunt. Hoc Palatium densissimis et maximis silvis circumdatum est, in quibus venatores regii continuo elephantum feminas edocent, naturam illis compositione quadam ungentes. Quam elephas silvestris olfaciens sequitur usque ad palatium illud Tambel vocatum nec illas deserere potest. Porta huius palatii artificiose facta est, quae se ipsam aperit atque claudit. Ante hanc via longa ad quingentos passus utroque latere arboribus densis cincta, quarum rami extendentes se viam quasi totam cooperiunt, quae recta ad portam ducit. Hanc viam ingredienti feminas mas sequitur in silva se esse existimans. Interim, cum praeda iam certa est, venatores Regi nuntiant. Prius, antequam veniat Rex, ordinati sunt quinquaginta vel sexaginta equites, qui ex omni parte illius viae longae strepitum faciunt et clamorem attollant maximum ita, ut praecedentes feminas et fugientes quasi in palatium elephas sequi et portam illam intrare coactus sit, quae confestim a se ipsa clauditur. Tum demum Rex et venatores cum cetera turba per aliam portam parvam intrant, feminae vero paulatim una post alteram se ab elephanto subducunt. Qui postquam se solum derelictum conspicit, non dici potest, quantos ludos, quantas turbas det, et quantos mugitus currendo, lacrimando, clamando, dentibus contra turbam ab eo seclusam fremendo, trabes illos maximos magna vi dirumpere conando, quo populo nocere possit; sed frustra. Immo dentes quandoque frangit in eis, tandem cum per tres et quattuor horas ita defatigatur, quod sudore totus madescit, tum proboscide ori imposito tantam copiam aquarum supra turbam spargit, quod omnes a primo ad ultimum tamquam multo imbri aspersi videntur. Animadvertentes autem illum omnino defessum esse quidam officiales exeunt arundinibus longissimis et acutis illumque pungentes et magna sane difficultate unum ex receptaculis illis, quae plura sunt, intrare cogunt. Receptaculum illud tam artum et angustum est, ut elephas, etiamsi velit se vertere, non potest. Tamen magna velocitate et alacritate opus est illis cum arundinibus caedendo et salvandos semetipsos. Incarceratus cum est elephas, desuper illi collum, ventrem et pedes funibus ligant. Ligatum quinque dies absque cibo ac potu stare sinunt, solutum postea feminae copulant, cibum et potum praebent adhortantes illum verbis primo, ut morem gerat et rectori suo subditus sit: ipsum esse factum servitorem maximi Regis. Itaque spatio quindecim dierum cicur omnino factus est et



domesticus. Qui brevi tempore linguam ediscit, ut omnia, quaecumque illi dicantur et imperentur, optime intelligat ita, ut nil nisi vocem humanam huic animali deesse manifestum est.

93 Rex hic classem nullam habet, licet portus maris principalis quidam sint eius regni, sed terra potentissimus est, gente, auro, argento et gemmis, quia dominus est gemmae fodinarum, e quibus rubini, saphiri et spinelli producuntur. Cellas quasdam plenas auri et argenti habet. Imprimis vero thesaurus inaestimabilis videtur prope palatium Regis, ubi area est quam maxima, muris cincta cum duabus portis, quae de die semper apertae sunt. In hac area quattuor casae sunt auro obductae, plumbo coopertae. Et in prima quidem statua hominis est aurea habens capite coronam maximis et pretiosissimis rubinis et safiris elaboratam, circa quam quattuor infantes aurei sunt. In secunda casa simulacrum gigantis est sedentis argentei, qui altitudine ita sedens duos homines superat capiti simili corona imposita. In tertia statua gigantis ex orichalco consimili corona. Et in quarta statua eiusdem magnitudinis est facta ex ganzo metallo (de quo moneta cuditur illius terrae, et est mixtura plumbi cum orichalco), cui similis corona rubinis et saphiris maximis et praestantissimis imposita; et de die cuique thesaurum hunc ad placitum contemplare liberum est custodibus id neminem prohibentibus.

94 Rex ipse paganus est et idolatra cum universo regno suo. Habet uxorem unam legitimam et praeter hanc in alia arce ad trecentas concubinas separatim, e quibus multos filios habet, sed senior imperio succedit. Singulis diebus negotia a Rege ipso expediuntur quam plurimi et supplicantes ipse audit hoc modo: sedens Rex in sublimi solio et circa ipsum multo inferius quidam consilarii et magnates. Intranses autem, qui negotia habent, ante Regem 40 passus fere terrae assident promiscue, nec in illo respectus personarum habetur. Quilibet vero manu supplicationem suam tenet, quae scripta est cum stilo ferreo super folium arboris dhale unius cubiti longa, lata duos digitos. Et simili modo opus est, ut quilibet munus quoddam altera manu habeat. Venientes interim scribae supplicationes accipiunt, legunt et demum Regem ante palam legunt. Quod si Regi petitio iusta videtur, munera per scribas a supplicantibus accipit. Sin minus eosdem cum muneribus abire iubet.

95 Lex in Pegu est, si debitor praefinito termino non solvit, quod creditor ipsum manu in domum suam ducere et obseratum tenere potest, donec solvat; et si non est solvendo, uxorem, liberos et servos accipere potest. Moneta totius regni vulgaris est ganza, ut superius dixi, et cuique hanc facere liberum, modo habeat iustum pondus. Et hac moneta aurum, argentum, rubini, muscus et aliae merces pretiosissimae emuntur. Et prorsus alia moneta non est in usu, quia aurum et argentum merces sunt, quod interdum plus minusve valet, ut ceterae merces. Una biza ganzarum semiducatum quasi valet, et ita bizi emunt, vendunt et rationes suas faciunt. Gravissima est haec moneta et quadraginta bizi homo onerantur.

96 Merces in hoc regnum veniunt e Sancti Tomae insula et Musulipatan: tela bombycina tincta et depicta subtilissima, cuius colores quanto plus lavantur, tanto vivaciores redduntur, et est maximi valoris ita, ut parva bulla ad duo mille ducatos constet; item filati de bombaso cremesini, tenti con una certa radice, che chiamano saia, qual fa un colore che mai non si smarrisce. Ex Bengala una navis, quae telam albam portat. In India non est quicquam, quod in Pegu conferat, ne moneta quidem, nisi quod interdum oppium, quod Cambaia in São Tomé atque inde in Pegu defertur. E Malaca Martavan, portum regni Pegu, intrans plurima navigia portantia piper, sandalum, porcellanas, canforam et alia. E Meccha vel ex freto Rubri Maris naves alium portum regni huius Cirion capiunt portantes pannos scarlatos, holoserica, oppium, cicchinos, quibus damnum patiuntur mercatores, quod ibidem minus valeant. Sed non habentes alias merces damnum hoc quintuplo illis restituitur mercibus, quas inde exportant. Hunc portum etiam navigia Regis de Assi ex Tabrobana intrans piper ferentia. Merces, quae ex hoc regno efferuntur, sunt aurum, argentum, rubini, saphiri, spinelli, muscus, belzuin, longum piper, plumbum, lacca, oryza, vinum adustum ex oryza et saccari aliquantum. Et, licet in Pegu nascatur in abundantia, plurimum tamen consumitur cannis, quibus elephantos pascunt; item in Pagodis, id est fanis suis, qui ad formam pyramidum, sed rotundi sunt e latere cocto; et a summo ad infimum usque novo genere calcis vel caementi multo saccharo permixti hos obducunt; quo immensa quantitas saccari consumitur. Sunt enim horum pyramidum maiorum minorumque numerus infinitus. Et hi in fastigio omnes inaurati sunt, quam plurimi etiam minores ab infimo ad summum aurifoliis obducti ita, quod innumerabilis copia auri etiam in hoc consumitur. Alternis enim decenniis de novo hos deaurari oportet; et absque hoc saccarum et aurum melioris pretii foret in Pegu.

97 Est et alius portus huius regni, Mergi vocatus, ubi fluvius quidam magnus mare influit. In cuius ripa ad iter unius diei et noctis a mari civitas Tanasari posita est, olim sub iurisdictione regni Syon. Qui fluvius ex illo regno profluit. Onerantur hoc portu naves quaedam versino, belsuino, interdum muscato, gariophilis, macis, item nippa, quod vinum est praestantissimum distillatum ex liquore quodam dulcissimo, qui ex flore arboris niper stillat. Hoc vinum clarum est ut crystallum, et per totam Indiam in magno pretio, in Pegu



autem frequentissimum. Hoc unicum maxime admiratus sum in Pegu, quod vidi illos, qui prorsus nullam cognitionem gemmarum habent, tam bono et vili pretio posse emere, quam qui aurifabri ipsi et gemmarum cognoscentia peritissimi sunt. Id forsitan tibi legenti haec difficile creditu erit, sed audire digna. Et certe, si non emerent, nisi qui intelligunt, omnino gemmae vilissimo pretio valerent. Sed inventus est modus, quo venditores suas gemmas maiori reputatione et maioris pretio etiam vendere possunt, quilibet autem absque ulla fraude et circumventionem securus emere potest: nam quattuor in civitate homines magnae autoritatis sunt, quos tareghe vocant, quibus universae gemmae, quae in Pegu venduntur, per manus eunt. Si quis igitur gemmarum ignarus unum ex his tareghis alloquitur, ut sibi hac in re serviat, confestim facto pretio cum venditore rubinos illos omnes, etiamsi ad quinquaginta mille ducatos et ultra se extendat, domum portat. Biduum vel triduum videt, revidet aliisque mercatoribus monstrat et, si se circumventum existimat, venditori illos absque ullo impedimento iterum restituit. Quod tamen quasi numquam accidit, quia infamia esset maxima illi tareghe, qui verbera pati mallet, quam hanc notam ferre et creditum perdere. Quapropter et illi, qui minus intelligunt, interdum melius emunt, quam qui sunt peritissimi. His enim si carissimi veniunt rubini, tareghes culpa non vacant, immo apte contra hos, qui professionem faciunt gemmarum, tareghe venditoribus in constituendo pretio facient, quantum possunt. Sic et omnes emptiones et venditiones fiunt sub cooperta manu, quemadmodum in Bengala.

98 Vestitus gentis huius regni omnibus unus est, et solum differentiam pretiositas telarum facit inter magnates et plebeios. Vestis interior e tela alba bombycina etiam loco camisiae est, supra quam se cingunt cum alia tela depicta variis coloribus et ad 14 cubitos longa; hanc inter pedes circumdant. Caput parvo tulipano e tela alba trium cubitorum in spiram involvunt instar caputii, quidam etiam absque tulipano solummodo unam zazarrotam gestant, quae aures non attingit, et capillos, qui a zazarrota non tegi possunt, tondent. Omnes discalceati, nobiles vero et Satrapae vel ab octo baiulis portantur in un solaro cum magna reputatione et cum umbraculo, ut etiam nudis pedibus equitant.

99 Mulierum vestitus, et omniscumque conditionis vel status sint tam magnatum quam plebeiorum, non est alius quam camisiola finissima usque ad umbilicum, ab hoc et genua usque tela trium cubitorum longa, ab anteriori parte aperta et non tam arcta, ut eundo femina, quantumlibet partes illas obtegere enitatur, non possit tamen. Et dicunt hunc modum a regina quadam antiquis temporibus institutum, quemadmodum ipsamet prima gestavit, quo homines a peccato sodomitico abstrahere existimabat. Discalceatae, ut viri, omnes ambulant, ditiores autem delinquis illis portantur. Harum brachia et digiti cyclis et anulis aureis cum gemmis et unionibus circumdati sunt. Capillos medio capite in nodum ligatos habent. Quidam etiam humeris alium pannum tinctum portant. Et quia olim viri non solum communem masculis, sed etiam cum canibus coirent, modus est adinventus, quo penitus hoc malum faciendi via illis interclusa est. Conficitur enim ex metallo globus concavus tenerrimus ad magnitudinem pilae palmariae, cui intrinsecus miro artificio in quattuor partes distincto globulus aeneus impositus est et deauratus sonum quendam obscurum cymbalorum reddit. Hic fissio praeputii virgae et cute super eo distensa carni apponitur, caroque curatur. Quod cuncti facere lege obstringuntur; et sunt, qui duos immittant. Intrans autem domum mulieris lanceam ad ostium relinquit, qua visa nemini sequi fas est, donec egrediatur.

100 In tota India autem non est gens, exceptis anthropophagis, tam bestialis naturae quam haec, quibus omnia animalia munda et immunda serpentes usque cibus sunt. Qui omnibus herbis, radicibus, floribus et foliis arborum etiam pascuntur. Unde minus difficile apparet credere de tam numeroso exercitu huius regis; siquidem hi, saltem aqua et sal non desit illis, per multos dies in silvis herbis et sustentari possunt. Oryzam medicinae loco secum portant. Arma vero eorum, ut hastae et gladii, qui longi sunt et sine cuspidibus prorsus nihil valent, sclopetum autem optima sunt, quibus saepius exercitantur.

101 E Pegu quia Malaccam proficisci constitueram, opus erat portum illum Martavan, quo navigia illa, de quibus facta mentio est, e Malacca appellunt, adnavigare. Iter autem mari est quattuor dierum de Martavan in Pegu, ubi cum maccareo, id est cum crescente mari navigandum est. Hoc est autem unum de maxime admirandis naturae miraculis, et non credo, quod in universo orbe terrarum simile huic conspici possit. Et in rei veritate, qui ipse non vidit hoc, difficillime credit. Tanta enim vehementia, tanta furia et tam horribili terrae motu et strepitu in ictu oculi reciprocatio oceani hoc loco operatur, ut satis hoc mirari non potest. Hoc ut melius intelligatur, sciendum est, quod Martavo abeuntes navigiis quibusdam ad hoc iter accommodatis crescente mari remigant, quantum possunt, ita, ut volare videatur, idque sex horas, quibus mare crescit. Videntes autem, quod mare est in summo gradu incrementi, subito navigiis illis canalem excedunt in locum altum, ubi ancoras iaciunt, expectantes alteras sex horas reditum oceani. Regressu autem oceani navigia illa prorsus in portu stant, et loca illa, ubi consistunt, ita altitudine a canali differunt, quantum quaelibet domus praealta a terra differt. Eam ob causam se canali extrahunt, quia tantus est impetus



crescentis maris, quod navim quamvis maximam canali illo constitutam absque ullo dubio everteret. Insuper etiam licet navigia illa in alto tam longe a canali constituta et per se etiam alta sint, atque irrumpentes maris fluctus, antequam eo pervenerint, iam maiorem furiam et impetum amiserint, nihilo minus tamen terribile et tremendum spectaculum praebet. Et ita prora ex diametro directe contra undas occurrentes tenere necesse est. Quo neglecto absque ullo remedio navis cum omnibus personis in ea persa est. Et statim, quando incrementum hoc incipit, sentitur terribilis strepitus et terrae motus, atque in momento veniunt tres undae maximae: Prima quidem navigium, quamvis in alto stans, de prora ad puppim usque obruit. Secunda minus terribilis est, et cum tertia subito ancorae solvuntur, et sex horis, ut dixi, remigant, quantum possunt, navisque velocissime currit. Et elaborandum est maxime, ne punctum temporis perdat. Ad alium enim locum altiore illis sex horis devenire, antequam mare decrescere incipiat, omnino necesse est. Sin minus decrescentis maris undae navim, unde venit, redire compellunt. Et stationes hae, quanto videlicet aliis aliae minus et magis altae, tanto etiam minus et magis periculosae sunt. E Pegu autem in reditu Martavanum usque non nisi cum medio decremento maris semper navigavimus, idque magis securum erat; quo loca semper altiora et tutiora capi potuerunt. Causam huius terribilis reciprocationis physicis relinquo. Aliud maccareo in Cambaia est, quod et ipse vidi, sed respectu huius omnino iocus est, licet anno elapso etiam in ipso naves quaedam eversae sint. Et sic 4 Decembris salvi Martabanum venimus.

102 E Martabano Malaccam usque 800 milliaria Italica numerantur. Sunt autem ex adverso litore Peguico ad 200 milia Italica maris insulae innumerabiles, quarum series ultra Malaccam Taprobanem usque extenditur; omnes insulae, quae habitabiles sunt. Anthropophagis nudis habitantur, et insulae Andeman dicuntur. Belligerentes una cum altera captivos comedunt. Quod si per tempestates, uti factum iam est, navis Christianorum vel Indorum eo compulsa fuerit, omnino nulla speranda est redemptio. Non habet haec gens commercium cum ullis hominibus, et solum de fructibus vivunt, quos insulae producant. Quandoque tamen navibus avvicinant, sicuti accidit nobis e Malacca Goam navigantibus. Ubi per canalem "del Sombrero" dictum levi vento navigantes binae naviculae horum silvestrium barbarorum approximarunt clamantes de longinquo et manibus signum dantes, ut vela demitteremus. Quo facto funis longus mari immisus est, quo naviculas suas alligarunt. Et nullo pacto persuaderi possunt, ut naves in nostras intrent. Sed habentes fructos aliquos, ut musas, nuces grandes et ignames elixos, qui fructus dulcis et bonus est, similis navone, illos non pecunia, sed descissis partibus camisiarum vel bragessarum permutant. Et opus est, ut primo illis hi panni veteres fune alligati in naviculas demittantur, pro quibus partem illorum fructuum, quam satis esse putant, rursus funi alligant. Et dicebant mihi, quod interdum cum simili veteri tela bonas particulas ambari illius pretiosi permutant. Cum enim venti occidentales flant, ambarum hoc ad insulas illas eiectionem in litore recipis et versa vice flantibus euris litore Aethiopico colligitur.

103 Nos auxilio divino hoc viginti quattuor diebus confecimus, et feliciter penultima Decembris Malaccam appulimus. Quod emporium Lusitanorum maximum est extra Indiam in duos gradus nostri poli arctici positum, ubi nec unus nec alter polus conspicitur. Et quia lineae meridionali haec terra proxima est, ideo per totum fere annum multae pluviae illam humectant. Regio alias oryzae multum et bonos fructus profert, sed re pecuaria admodum abundat. Quare et caro cara est. Quotquot naves autem hoc mare navigant, hic appellere tenentur decimasque solvere, etiamsi nullas omnino merces exonerent. Quae secus faciunt, in India duplum vectigalis dare coguntur. Habent Lusitani in oriente quattuor fortalitia summa et principalia. Quorum primum Ormus in freto Sinus Persici, quod ex uno latere Persiam, ex altero Arabiam spectat, secundum Sossala in Mosambique Aethiopiae, tertium Diu in Cambaia Indiae, quartum Malacca extra Indiam, insulae Taprobane oppositum, cum qua et continuo bella gerunt Lusitani.

104 Navigatio autem ultra Malaccam non est communis vel libera omnibus excepta Chinense et Japonense, quae cunctis licita est. Illa autem solius Regis Lusitaniae vel nobilium, quibus a Rege ex gratia concessa est, item Capitanei Malacensis. Navigationes, quae Regis appellantur, sunt hae, quod annuatim duo galleones abeunt: Unus, qui Moluccos et cariofila, alter, qui Bandam insulas petit et muscatum et macis reportat. Nec ullius privatae personae merces imponuntur exceptis nautarum et militum, qui ad defensionem navium constituti sunt. Ex utraque Giava etiam navigia morisca has insulas adeunt, et aromata abhinc Taprobanem, in Assi regnum deportant. Et haec sunt illa aromata, quae a navibus e freto Aden illuc appellentibus coempta per Mare Rubrum Meccham, Alexandriam et inde in alias partes Europae dividentur.

105 Navigaciones a Rege nobilibus et Baronibus ex gratia concessae sunt: Primo Chineses, deinde e China Giaponem et e Giapone Chinam, de China in Indiam. Item de Bengala in Sondam, insulam cum telis finissimis bombycinis. Quae insula magna est prope Giavam, ex qua piper Chinam defertur. Navis, quae singulis annis ex India Chinam venit, vocant "la nave delle droghe", quia diversas droghas e Cambaia



portat. E China Giaponem usque duo milia quadringenta milliaria Italica numerantur, et singulis annis navis maxima e China eo venit nihil aliud quam sericum portans et argentum Chinam reportans. Hi Giaponenses partim per Jesuitas ad Christianam fidem conversi. Quorum tres filii Principes nuperrime nostras Europae partes, Romam et Venetias, visitarunt. Navigationes, quae sub iure Capitanei Malaccensis sunt, ille quotannis navigium Timor insulam mittit. Hoc sandalum album optimum, quod haec insula profert, reportat. Nascitur et in Selor insula, sed vilius. Item quotannis navigium Cauchinchinam adit, quae terra continens est Chinae regno contigua. Ubi flumine quodam magno capiunt lignum aloë gentes illius terrae, navibusque Lusitanorum cum aliis victui necessariis ipsi adportant, nec patiuntur Lusitanos naves descendere. Et haec causa est, quod huc usque nemo scire potest, ubi et quomodo nascatur lignum illud pretiosissimum; siquidem terrigenae tantum prohibent, quod nulli secundo flumine natantes particulas capiant atque colligant. Hoc certum est, quod ex nullo alio loco in toto mundo plurimum defertur, quam ex Cauchinchina. Item aliud navigium quotannis Asion adit, quod versin reportat. Et has navigationes Capitaneus interdum vendit aliis. Est et alia regia navigatio nova e Malacca ad insulas Manilias, quas Filipinas vocant. Ex quibus in Americam seu novam Hispaniam sive ad Indias Occidentales, ut vocant, et inde in Lusitaniam et nostram Hispaniam maris iter patet, atque ita tortus mundus ambitur. E Malacca Chinam usque numerantur mille octingenta milliaria Italica. Lusitani non procul a continenti Chinae insulam quandam occuparunt parvam, Machao dictam, et episcopatum ibi constituerunt. Cuius ecclesiae et domus lignae sunt. Decimas et vectigalia de quibuslibet mercibus Regi Chinensi solvunt in Canton, civitate maxima et emporio celeberrimo, a Macchao duorum et medii diei itinere distante. Ceterum de gente Sinarum vel Chinarum superius dictum est.

106 Non extra propositum duxi poca quaedam in compendio adicere de variis et principalibus rebus, quas producit India, cum in hoc maximo emporio Malacca ex omnibus totius fere orientis partibus merces confluant. Non autem describam virtutes earum, quod physicis relinquo, neque quomodo singula comparentur, sed solummodo originem harum, et in quibus terris nascantur pleraque, brevissime indicabo.

107 Primum locum igitur gemmae habent et adamantes veri, quos orientales vocant "le ponte naturale". Ex provincia omnes adamantes, qui ultra 150 grana, Regis sunt Deli. Le schiappe autem e Bisnagar. Provincia utraque Magno Magori subiecta. Nascuntur et "ponte naturali" in Giava insula, etsi maioris ponderis quam in Deli. Adamantes item ex montibus Decani non procul a Madremaluco fodiantur, qui "de rupe veteri" dicuntur, et sunt optimi, atque in civitate Lisbor magna Regis Decani venduntur; et ex petris iuxta mare Tanjam in Malacca similes illis de Giava, qui sunt maioris ponderis, effodiuntur. Dicunt etiam, quod in Cypro insula diamantes nascuntur, sed illos Bohemicis esse similes. Valde autem errat Plinius, qui adamantes in Arabia nasci dicit. Rubini, saphyri, spinelli in Pegu et Seilan, granati et balassi et saphiri in Cananor et Seilan, turbiti in Diu conficiuntur. Cornioli, granati, agates, jaspides, calcidonii, amatistis et quidam adamantes etiam in regno Cambaiae, berilli cristallosimiles et amethysti etiam in Seilan et Pegu, smaragdi meliores ex Scythia et Britanija, reliqui e Beru Americae veniunt. In Balagate et Bisnagar e vitro smaragdus falsos conficiunt. In his nostris Indiis Orientalibus lapis brassius smaragdo simillimus nascitur. Topasius viridis, hyacinthi et crisolites ex his Indiis quidam, sed, quo loco nascantur, non constat. Sardus in Babylone, in Ephyra et Asso et etiam in India; obscure ruber est. Quem Turcae gestant. Oculus catti in Pegu et Seilan, turchesius in Persia ex provincia Turkestan, oppalus, pulcherrimus lapis, omnium colorum in Seilan, jaspis et in Phrygia in montibus Iola et in Cappadocia nascitur. Horum autem sunt diversi colores: rubri, virides, nigro, caeruleo et rubro permixti et alii. Contra sanguinem alaqueca in Balagate, aetides in nido aquilae in desertis Aegypti et Arabia et India, crystallus in montanis Germaniae et Italiae; eius materia ex purissima humiditate in intimis terrae visceribus generatur. Ophites ut serpentinus tam in Cananor et Turchia, magnes circa promontorium Seilan et pluribus locis aliis. Contra †melanchosius† lapis Armenus, qui alias malechites, in Balagette prope civitatem Ultabado viridicaeruleus, lapislazari in auri et argenti fodinis caeruleus est aureis notis. Nobilissimus lapis bezoar, qui coloris olivae, in Horrosane, Nerendiva insula circa promontorium Comori et Malaccae, de quo superius dictum, item ex Peru Americae generatur non in stomacho, ut quidam putant, sed in receptaculo illo, quo herba continetur, quam capri quidam silvestres, quidam et domestici in insula Nerendiva. Lapis Malacensis in Malacca liechtbraunns, leicht unnd schlipfferig wie Saiffen, idem contra venenum. Lapis nephriticus contra calculum, viridis lacteo mixtus, ex Indiis Occidentalibus. Lapis tuberonius albus in piscibus illis tuberonibus, qui sunt in oceano, contra calculum et restrictionem urinae. Caimanum in lacertis illis prope Panamam contra quartanam.

108 Margaritae pluribus in locis Indiae piscantur, nobilissimae autem ex Sinu Persico, quae proprie orientales vocantur, de Comorim, Seilan, Burneo, China et nova orbe etiam. Coralli frutices saxei sunt in Mari Rubro et Ligustico, quorum tres species: rubri, albi et nigri. Albi sunt carissimi, rubri usitatissimi,



nigri rarissimi. Ambarum vel ambram griseam mare in Aethiopia et insulis Andeman eicit, item in provincia Florida. Est autem genus visci vel bituminis in abyssu maris generati; et, quamdiu sub aqua, molle, tempestatibus autem eiectum aere durescit, quemadmodum coralli et ambra citrina. Vera ambra grisea, aliquantulum rötlich et pinguis est ita, si acu pungen, olei succus promanat. Quae vero alba vel prorsus nigra, falsa est. Ambra citrina similiter a Mari Baltico in Sudavia Prussiae eicitur, et triplex est: alba scilicet, citrina et nigra, quae gagattes dicitur.

109 Muscus omnis ex Tartaria orientali; et sunt in illis partibus innumera animalia quaedam magnitudine vulpium, quae viva laqueis capiunt et fustibus caedunt toto corpore, usque moriantur. Quo fit, ut sanguis per totum corpus bene dispargatur. Excoriatis postea ossa omnia detrahunt, carnem minutim discissam in mortario maximopere discutiunt, factos demum e pelle marsupios materia illa implent et ligant, et hoc est muscus. Zibettem a catts silvestribus, quae sunt in Goa insula et aliis locis Indiae, item in Aegypto et Africa. Est autem sperma vel semen illius animalis, felis excrementum etiam, quod mercatores rhavent appellant.

110 Rhabarbarum in Cathaio Tartariae Magnae orientali nascitur; et radix est, quae partim Chinam defertur, plurimum autem per Persiam, Ormusum, Alepum, Alexandriam et Constantinopolim etiam defertur. Aliud rhabarbarum silvestre prope Samarcandam ultra Mare Caspium reperitur, sed tantum ad medicandos equos prodest. Est notandum, quod omne rhabarbarum, sicut et omnia aromata, mari unum mensem solummodo vecta citius putrefiunt et vim suam amittunt et corrumpuntur, quam si annum terra portentur. Qua causa etiam rhabarbarum, quod Maio mense in Indiam defertur et usque ad Septembrem non consumitur, omnino nihil valet amplius, quia illi quattuor menses hiemales Indiae continuis pluviis exagitantur ita, quod a nimia humiditate corrumpitur. Rhabarbarum, quod grave, interius ut caro cruda, albo rubroque permixtum, optimum est. Radix Chinae a provincia nomen habet. Iuxta litus maris et aliis locis humidis nascitur. Crassa et nodosa est, acoro similis, exterius rubra, interius alba rubro mixta. Absque odore est, et quae gravis pondere ac multum contigua, optima est. Hanc schuchtschini vocant.

111 Piper per totam Indiam quoque et ultra Indiam nascitur, plurimum vero in regno Malabar, Calicut et Cochin, Taprobana, Giava. Piper longum in Bengala, Pegu et Giava nascitur. Zinziber quoque per totam Indiam nascitur, et est radix herbae, quae in hortis studio et labore hominum cultivatur, panizzo vel allii herba simillima. Cinamomum optimum sola insula Seilan profert, silvestre in Cochin nascitur. Cariofila omnia insulae Moluccae dant. Sunt septem insulae non magnae, quarum principalis Gelolou vocatur. Arbor, quae fert cariofila, lauro assimilatur; humilis est, et crebris foliis densos ramos, ut buxus, habet. Muscatum solum insula Banda iuxta Moluccas profert. Cuius arbor nuci similima sed minor. Macis est scortex exterior, quae muscatum circumdat, quemadmodum et nuces nostrarum regionum habent.

112 Sandalum album omne et optimum in insula Timor nascitur, sandalum rubrum in Bengala et pluribus locis Indiae. Aloe, lignum optimum, quod agila vocant, solum Cauchinchina dat. Belsuin in regno Syon et in regno Assi, Taprobane, nascitur. Comfora composita omnis e China, simplex vero, quae in cannis nascitur, e Bruneo insula. Medicinalia diversi generis est Cambaia. Spodium aqua congelatum in cannis quibusdam invenitur.

113 Sericum ex China, Persia, Cataio, Georgiana devenit. Vermiculi huius non alio quam foliis mori pascentur et sustentantur. Quando sericum ab illis ducitur, aquae calidae imponuntur. Rota magna est, quae semper volvitur, et homo saepius vermiculos aqua natantes digitis tangit, ac ita sericum ab illis excipit. Ab his solummodo carta maculata etiam minimis punctis, ut muscarum, reservatur in annum, ex quibus alii nascuntur; et hoc semper semen eorum est.

114 Ex Chiaul negotiantur mercatores etiam in Aethiopiam per la costa de Melinde, ut vocant, et ultra in Aethiopiam interiorem, quam la gran Cafararia vocant. In hac ora marittima Mori quoque portus quosdam tenent. Lusitani e Chiaul telas quasdam bombycinas parvi valoris eo portant, item quantitatem maximam globulorum vitreorum, diversorum colorum, qui in Chiaul ad hunc solum usum conficiuntur; item specula, tintinnabula et alia vilia, quae omnia cum Aethiopibus illis commutant, atque aurum, ebur, ambram et mancipia cafros reportant. Mosembique, insula parva Lusitanorum, huic litori adiacet in 16 gradus poli antarctici, ex opposito insulae maximae Madagascar, quae Sancti Laurenti vocatur. In continenti autem Lusitani fortalitium illud magnum Zofala tenent, de quo superius dictum. Capitaneus huius locis aliquas navigationes ex gratia Regis concessas in Caferariam habet, quo nulli alii mercatores permittuntur. Navigant autem adverso flumine certis navigiis minoribus. Et cum Cafris hoc modo tractant: Exoneratas merces suas litori e regione apponunt et se subducunt, ne a Cafris conspiciantur. Veniens Cafer Aethiops visis mercibus tantum auri apponit, quantum satis esse existimat, et similiter se subducit. Rediens postea Lusitanus et videns pretium iustum esse, aurum deportat. Quo discesso denuo Cafer reversus merces



accipit, aurum vero adhuc relictum a Lusitano adponit et abit. Et si hoc Lusitanus non contentus est, Cafer rediens iratus omne aurum aufert et amplius non revertitur. Quare Lusitanos admodum duros esse oportet, alioquin absque auro cum vitris suis reverti [non] necesse est. Atque hoc modo aurum ex Aethiopia sine ulla conversatione hominum, non loquendo invicem et ne videndo quidem Sofalam contrahitur. Quae ab India duo milia octingenta milliaria abest. Aethiopes in Mozambique prorsus nudi ambulant, et solummodo panno rubro minutim discisso mentulam illigatam habent, testiculis nudis; humeros et pectus variis modis cultellis incidunt, ut nos calceos et vestes.

115 In Malacca quindecima Februarii anno 91 navem conscendi, et vicesima Martii feliciter insulam Seilan appuli. Abeuntes vero e Malacca primum Taprobanem sive Sumatram insulam maximam praeternavigavimus, quam linea meridionalis mediam secat; et hic Rex classe potens Lusitanis inimicissimus est. Extra hanc insulam versus Indiam series insularum infinitarum incipit, quae Andeman vocatur, et versus septentrionem ad Peguicum litus usque sese extendunt; et navigatur vel per Canalem del Sambrero vel per illum de Nicubar, quae harum insularum prima est. In Seilan vidi arbores cinamomi. Quod ipse meis manibus, qui anni tempus ferebat, detraxi. De quo superius plura. Et hic quadriduum commorati decima Aprilis post Goam devenimus. Ubi biduo confecto aliam navim conscendi, et quinquagesimo secundo die post, qui erat dies Pentekostes, feliciter Ormusum appuli, quamvis parum abfuit, quin secundo iterum Indiam reverterem.

116 Vespera enim diei Paschae, cum navis nostra Goae adhuc in ancoris staret, corus tanto impetu flavit, quod duas ancoras, quae solae a priori tempestate superstites erant, amisimus. Totaque illa nocte mari hinc inde vagantes atque sequenti quoque die in dubio stantes, Indianne rediremus (quod multi persuaderant) necne, usque tandem Capitaneus rationibus pilotae inductus iter suum in Dei nomine Ormusum prosequi constituit. Atque ita sine ullis ancoris nos alto mari committentes tricesima die post Melinde, regnum Aethiopiae superioris, appulimus, quod sub utroque polo in duos gradus positum est. Huius Rex Lusitanorum classem primam, cum Indiam adnavigaret, ut amicus excepit, estque Regi Lusitano confoederatus et frater in armis vocatus. Ex hoc regno qui ad Praeto Joannem proficisci volunt, per regionem Troglodytarum, qui nunc Funtsch dicuntur, ambulare necesse est. Aethiopes sub Turca sunt in terra calidissima ac pessimi aeris. Erant olim duo portus liberi in hac ora ad Praeto Joannem, sed iam a Moris occupati ita, quod aditus omnis Christianis ad illum Regem interclusus sit. E Melinde aquilonem versus navigantes quinta die Sacatoram vidimus, quae Solino Cotonara insula est e regione Troglodytarum ultra fretum Aden seu Rubri Maris a paucis Christianis habitata. Quos Divus Thomas ad fidem convertit, et ex hac insula Indiam transvectus est. Nascitur in ea aloes, herba, quae quia optima, zocotrina dicitur.

117 Triduum post Curia Muria insulam, et biduum post Macyram, nunc Maseira, praeternavigavimus. Hic ichthyophagi habitant, quos classis Alexandri Magni et vidit. Qui solis piscibus et palmis vivunt, gens nuda et misera. Incolumesque de hinc Ormusum, ut dixi, applicuimus. Res sane temeraria nec umquam audita navem ex India per oceanum magnum sine ancoris Arabiam adnavigare. Mari autem illis diebus unam machinam seu bombardam grandiolem in omnem eventum adaptavimus, quae ancorae usum, si necessitas postulasset, obtineret. Ex Ormuso, quia tempus erat piscationis margaritarum (hic enim mense Iunio et Iulio, in India Martio et Aprile piscantur), cum Fernando Rodrigues, quem Capitaneus ablegaverat, duabus biremibus Barein insulam adnavigavimus. Quo biduo devecti vidi uniones et margaritas illas pretiosissimas cum magna delectatione ex profundo maris abisso proferre, per modum qui superius prolixius indicatus est.

118 Atque inde Ormusum rediens habitum mutavi Lusitanum ac indutus veste Persica rasumque caput tulipano e tela picta cinxi. Cum forte Legatus Persicus adesset, in comitatu eiusdem, cui a Capiteo recommendatus, discedens quindecima die post Laar intravi, quae metropolis Carmaniae cum multis turribus ad angustias montium sita. Cui ex opposito castrum in montis dorso imminet sclopetariorum solum; machinas grandiores non habet, equites paucos alit. Huius regio maiori ex parte montuosa est, sterilis atque calidissima ita, ut una die in Cafristan e comitatu nostro quattuor homines abs nimio solis aestu suffocati sunt. Erat turma nostra sescentorum camelorum, et propter maximum solis calorem a vespera usque ad tertiam vigiliam noctis iter, reliquum tempus quieti datur.

119 Vidi in Laar ad ducenti Lusitanorum capita muro constructae columnae medio foro ordine affixa et inaedificata. Quos Nikelotes prope Cheloum trucidarunt, de quibus supra. Hic etiam relictis camelis comitatus noster mille trecentorum asinorum factus est. Quibus tertia Iulii discedentes quadriduum post Bachru municipium intravimus, ubi rivus Carmaniam a Persia disternat. Hic vidi eclipsin lunae magnam, quae lunam a prima ad secundam vigiliam usque integram obscuravit. Uno itinere abhinc angustas fauces per asperrimaque montium iuga quaedam evadendum est, ubi latronum insultus maxime



pertimescendi, qui turmas saepenumero a tergo adoriuntur. Inde relicto Dhagrum, municipio hortis pulcherrimis et aquis vivis circumdato, venimus in tractum, quo plurimis ex arboribus vidimus liquorem illum densum profluere, puto terebintum, quem Persae mastix esse dicunt, quod sakis appellant. Sic et cypressus his locis frequens.

120 Quindecima Iulii Schiras venimus, quae Persis vel Persepolis olim dicta Persarum regia sedes nobilissima fuit, quam Alexander Magnus incendit. Urbis ambitus adhuc magnus est, verum muri, qui e latere cocto, in totum quasi corruere. Interius ingens ruinarum et collapsorum aedificiorum congeries, atque ita plus vastata quam culta. Ceteroquin omnis generis victus homini necessarius in maxima abundantia: vinum et fruges varii optimique, perinde ut nostris terris uva, poma, pira, pruna, mora, amygdala, nuces, melones, pepones, cucumeres et id genus alia. Schirasi comitatus noster plures dies detinebatur, donec se cum alia turma coniungeret. Idque ob metum praedonum, qui magno numero tam equitum quam peditum vias et passus quosdam interclusos obtinebant. Nescio enim qui Sultan a Rege Persarum officio privatus et mazul factus cum multis asseclis latrocinio rem gerebat. Quapropter necesse erat, ut multis in locis milites sclopetarii e vicinis castellis turmas tutela eam comitarentur. Licet enim sub comitatu nostro ultra quingenti homines ibant, plurimi tamen inermes, paucissimi arcum et sagittas portabant et vix quinquaginta sclopetata, quae Armenorum erant. Quod certe mirum et maxime culpandum mihi videbatur, mercatores Persas itineris difficultatum et periculorum non ignaros, adeo tamen improvisos et inermes excedere. Comitatum ut societatem mercatorum, qui una proficiscuntur, in Persia cafilam, in Turchia carawanam vocant.

121 Vicesima Augusti quattuor mille asinis Persepoli abeuntes tertio itinere fluvium ponte lapideo, qui plurima parte excisus erat, superavimus, atque integrum diem eodem consumpsimus. Hinc uno itinere Mayn municipium magnum devenimus, quod fluviolus perlabitur. Ubi Schirasi Sultanum obviam habuimus, qui cum adiuncto sibi exercitu Horassanum contra Usbeg Tartarum exiens eo loci constiterat, acceptis a Rege suo litteris, ut factis iam cum Tartaro annuis indutiis, dimisso exercitu Persepolin rediret. Quinta ab hinc mansione Spahan castrum pervenimus in colle situm, quam plurimis locis hortis instructum, qui fluviolo per vallem delapso irrigantur. Et castrum hoc statim in principio subiacentis planicie ad 15 milliaria Italica conspicitur. Inde quarto confecto itinere Asbahan urbem maximam intravimus, cuius ambitus duodecim milliaria. Quam fluviolus praeterlabitur. Estque haec urbs hodierno die praeter ceteras totius Persiae omnibus nationibus commercio insignis. Quam ex India, Arabia, Horossane, Tartaria, Moscovia, Armenia et aliis provinciis innumeri mercatores frequentant. Monstratur hic ab Armenis et Persis locus et hortus, quemadmodum Aaronis sacerdotis fuisse dicunt. Immo Asbahan eiusdem patriam esse affirmant. Spahani plurima pars cafilae nostrae remansit, et relictis asinis, qui merces habebant, cafilam trecentorum camelorum fecerunt, et quarta mansione Cassan urbem pervenimus muro duplici et turribus e latere cocto cinctam. Ubi forum maximum et carabassiae amplissimae lapidibus extractae videntur. His locis, quemadmodum et in Spahan, conficiuntur tapetes ut peristromata illa serica melioris notae.

122 E Cassan quattuor diebus Kum civitas petitur, ubi ferrum illud damascinum optimum est, e quo acinaces et alia arma atque ornamenta pretiosa conficiuntur; et hanc fluviolus praeterfluit. Dehinc unicum iter distat Saba, urbs parva muris cincta. Quinta ab Saba itinere Casbin, urbem maximam atque Persiae totius metropolim, perveni, quae muris caret. Hanc Habbas Sah, Persarum Rex, inhabitat. Cuius pater Sah Hodabende a Turca Ecbatanis sive Taurisco ante annos novem eiectus est. In hac autem praeter Regis palatium variis coloribus depictum multoque auro obductum cum hortis regiis atque una moschea quattuor turris viridibus superne deauratis praeterque fora maxima, quae in omnibus tam Turcarum, quam Persarum municipiis sola spectari possunt, nihil memorabile extat. Sah ipse iuvenis et tricesimum annum non accedit, ab omnibus vero iustitiae accerimus administrator commendatur. Qui statim suscepto a caeco patre imperio Sultanos plerosque (sic enim Principes et Gubernatores provinciarum Persiae nuncupantur), quos reos et culpa dignos invenerat, capite multavit, multasque graves impositiones patris, quibus subditos et mercatores premebat, cum laude et satisfactione communis populi sustulit. Regio circa Casbin bene populata, multis villis et hortis instructissima. Vinum et fruges omnisque generis victualia per totam Persiam in abundantia optimaque annonae.

123 Iam, quae de statu Regis moribusque Persarum dicenda sint, copiose ea ab aliis traduntur. Quippe haec a Turcarum valde differunt. Et ut Turcae pleraque iniusta vi, sic illi temeraria quidem levitate multa gerere prohibentur. Nutriuntur in corte Regis ultra duo milia iuvenum (equites omnes), qui Sahoglani dicuntur. Quippe vigor et vis Persicae militiae in equite constitit. Bombardas grandiores non habent, sicuti neque multis fortalitiis vel munitionibus student, atque omnem fortunae eventum aperto campo committunt ita, ut praeter unam Erdouil in toto regno Persarum bene constructum et munitum fortalitium non invenias. Observavi morem antiquissimum apud eosdem servari: in adorando non solum Regis persona, verum etiam



praetereuntes palatium ante portam in faciem procidentes fausta omnia Regi precantur, id quod plebeii faciunt, grandiores capita solummodo inclinantes. Hanc adorationem et Alexander Magnus potito Persarum imperio in se passus atque ob id a suis Macedonibus valde accusatus.

124 Casbini iterum caffilla nostra divisa est, et abeuntes ducentis camelis sexto abhinc die Gilan urbem intravi a provincia nomen retinentem, ad Mare Caspium sive Hyrcanum sitam. Ex qua traiectus est quadraginta dierum usque ad Hagiter Han, vulgo Astrahan dictam urbem et fortalitium Tartaricum Mosco subiectum, ubi Volga flumen mare illud influit. Quo flumine adverso per Tartariam septentrionalem Cassan vecti mercatores Moscoviam usque deportantur, sedem regalem ipsius Moscorum Principis. Hic Rex Persae vasallus est quondam rebellis, sed prioribus annis a Ferhat Beggo, qui secundus a Rege Persarum est, humiliatus et sub iugum submissus est. Octavo autem ab hoc itinere per asperrimos montes Caspios Erdouil civitatem perveni, quod ultimum Persarum fortalitium est Taurisum versus et a Tauriso octo itinera abest. Hanc viam vero extraordinario mercatores metu praedonum faciunt. Ceteroquin de Casbin decem diebus Taurisum itur. Et primo Sofiana, deinde Sangan, urbes, ut plurimum, a tempore belli desertae cum municipio Myana transeundae sunt.

125 Cum autem universum regnum Persarum, quantum a meridie septentrionem usque distenditur, certis itineribus peragrassem, tandem vicesima quinta Octobris Taurisum olim Ecbattana dictam feliciter ingressus sum. Ubi non sine maxima admiratione aspexi situm regiae urbis olim amplissimae et opulentissimae, ad radices montium positae. Quae tabefacta primum intestinis et iam demum apertis bellis devastata, destructa atque in totum collapsa iacet ita, ut extra castrum duplici muro humili cinctum, cui plurima quidem tormenta bellica minora imposita sunt, de tot milibus domorum aedificiis (siquidem urbs mea opinione Bizantio haud minor erat) vix unicum plateam, ubi forum tractetur, restare eamque mutilam et ex parte desertam videas. Palatium regale, quod intra muros praedictos continetur, octangulare est, latere cocto et variis coloribus vitreato auroque superinducto constructum. Hoc Bassa Giaffer nomine, eunuchus, inhabitat. Quippe Ferhatt Bassa Capitaneus Generalis, qui praedictam urbem anno 1583 cepit, iam Constantinopoli vezierium agit. Restat ante castrum moschea regia et ante eam area maxima, ubi Rex Satrapis equestres ludos agebat; et item aliae quattuor, quarum principalis est, quae Regis Jansapatissah olim constructa erat, omnes mirando opere fictili colorato et inaurato confectae. Quippe inanes relinquuntur et a Turcis ut haerediticorum templa (sic enim Persas Rafasy vel Siah vocant) minime frequentantur. Constructae sunt autem a Turcis intra muri ambitum tres moscheae. Harum principalis Ferhat Bassa fundata cum caravassariis et balneis suis, ut eorum consuetudo fert.

126 Tauriso profectus tertio itinere ad Arax fluvium veni, quem non sine difficultate transivimus, siquidem rapidissimus erat; et inde Gulffam intravi, municipium magnum Armeniae maioris ad flumen Araxin positum et solis Armenis habitatum, qui ecclesias suas libere tenent. Quorum ritos et caeremonias videre licuit. Sunt autem in hoc tractu decem villae Armenorum, qui cum Ecclesia Romana consentiunt. Quippe reliqui omnes schismatici habentur, hi vero a divo Gregorio, Armenorum patrono, eo translati sunt. Qui Roma profectus et Germanorum fines ingressus ex Germania licentia Pontificis trecentos secum illuc abduxit ibidemque considerare fecit, qui hodiernum in diem religioni Romanae Ecclesiae conformes sunt. Unico itinere a Gulffa distat Akulis, pagus Armenorum, in cuius ecclesia monstratur manus Beati Thomae, qua Christum tetigit; et sic et in alio pago caput Joannis Baptistae.

127 Vicesima nona die Octobris Gulfa discedens et per angustas convalles, inter quas Araxis fluvius erumpit, qui versus ortum in Mare Caspium effunditur, unicum iter procedens in planiciem veni, ubi Gordiaeus mons, unus ex montibus Ararat sive Tauri, in quo Noae arca quieverat, prope et clare prospicitur. Hunc montem ab aliis omnibus, quorum circum circa plurimi et altissimi sunt, longe remotum et summo culmine continua et perpetua nive albicantem, tum propter formam seu proportionem ut dispositionem, tum etiam propter eximiam eius altitudinem mire spectari placuit. Quippe omnes reliquos altitudine superat et ab infimo ad summum usque mirando natura opere fastigiatus atque in et culmine planus est ita, ut non immerito ad sustentandam arcam a nostra selectus videatur. Illam autem arcam vel, quicquid de ea superat, tum Ghamarben Alchetab, unus ex priscis Persarum Regibus, ex montis dorso sublatum in Ismaelitarum moscheae usum adaptavit. De qua et Berosus, antiquus scriptor, dicit bitumen illud ad sacrificia translatum esse. Altera die Nachtchivan perveni. Urbs est editiore loco sita cum castello et Araxi flumini proxima. Quod flumen prope villam trecentis camelis secundo transivimus.

128 Sequentibus duobus diebus vidimus adhuc praedictum montem, inde quarto peracto itinere per montes in Van veni. Urbs est muris cincta, cum castro firmissimo in rupe posita, bombardis grandioribus bene referta. Hoc fortalitium Turca multos annos ante expugnatum Taurisum Persae ademit. Habet a latere occidentali lacum aquae salsae, per quem navigiis unius diei et noctis traiectus est ad villam tria fere



milliaria Italica a Bytlis distantem. Capiuntur ex hoc lacu pisciculae illae, quas Itali sardelos vocant, in maxima copia et quidem alios nec maiores nec minores. Vidi in Van extra civitatem tribus locis vivo marmore incisas litteras antiquissimas easque permultas, quas nemo hominum nunc legere vel intelligere potest. Sunt, qui dicunt (et quidem Christiani eius loci) has a tempore Tamerlanis, quem illi Lante Tamur appellant, qui omnes illas provincias subegit, superesse. Ego illas multo antiquiores iudico et, quoad potui, de iisdem decerpsi quasdam. Excisa est forma portae peralta quattuor fere cubitus in ipsa rupe versus ortum, in qua a summo ad infimum usque incisae sunt hae litterae et videtur olim obserata fuisse haec porta, sed iam dudum diffracta.

129 Decima Novembris navim ingressus spatio viginti quattuor horarum ad alterum litus traieci et sequenti die in Bytlis veni, urbs, quae cum castro inter angustas montium convalles sita. Quae tamen non infrugiferae sunt et fluviolo montium Bytlis irrigantur. Hic aqua saluberrima, et tribus locis aquas illas Daurbrunnos acidas scaturire vidi, quas degustans illis in Hungariae Wigleschy non dissimilis sensi. Eis tamen nec Armeni nec Turcae gaudent utrique vim et efficaciam harum ignorantes. Primo a Bytlis itinere, antequam ad castrum Ceffendur venitur, per magnum foramen petrae itur, quod foramen a quodam Armeno eremita, homine sancto, solis digitis excavatum esse dicunt, siquidem petra illa non admodum dura est. Qui videns maximam difficultatem praealti et praerupti itineris, quo saepe numero homines et iumenta dura patiebantur, incepit eodem loco digitorum unguiculis petram illam excavare, et succedente tempore viam, qua homines et animalia transire possunt, patefecit; et quidem eadem ex petra viva scaturit aqua acida.

130 Tertio abhinc itinere, relicto prius ad sinistram castro Sergy in alto montis dorso posito, ad fluvium Genschae perveni, cui prope pagus et castellum Husu in monte situm. Inde unico abhinc itinere ad flumen Tigrim veni, eo loci Batman vocatum, quod ponte lapideo satis magno transivimus atque ita ex Armenia in Mesopotamiam venimus. Et hic tulipanos nostros deponere necesse erat, quos ab Ormuso per totam Persiam et Armeniam libere portavimus. In Turchia autem nulli Christiano nec Iudaeo conceditur, nisi quod Armenis intra fines Armeniae hos portare liberum. Ceterum nihilominus etiam in Turchia Christiani vel Iudaei saepe in itinere tulipanis utuntur ad evitandas multas iniurias obviantium Turcarum, quibus saepe equos et asinos vi abripiunt. Sed appropinquantes civitatibus Christiani depositis tulipanis pileos vel caputia nigra, Iudaei vero caputia rubra capitibus imponunt. Et Iudaeis quidem nihil aliud quam rubra caputia in Turchia portare licet. Sic et Armenis libertas a Mahomete Primo concessa est, quod eorum filii non ut Graecorum delineantur; et hoc ob spontaneam deditionem totius provinciae. A praedicto fluvio trium iter dierum confeci ad urbem Carahemit olim Haran vocatam, in qua habitabat Abraham. Situs huius urbis eminus pulcherrime videtur: in editiore loco posita cum turribus quam plurimis, quam fluviolus in valle praeterfluit. Videntur hic multae litterae Chaldaicae antiquissimae lapidibus murorum et turrium incisae. Hanc Sultan Suliman restauravit. Et haec quondam Carrae dicta Romanorum fuit, ubi Marcus Licinius Crassus, qui templum Hierosolymitanum spoliavit, a Parthis captus auroque in os fuso interfectus est. Certe hanc sub Romanorum vel Graecorum Imperatorum potestate fuisse haud vulgare monumentum inveni in editiore loco, quod pro castro habetur. Ubi arcus antiquissimos, partim subterraneos, item portas maximis lapidibus constructas atque duobus in locis aquilam bicipitem lapide exsculptam eamque vetustissimi operis esse cognovi. Videtur et hic una moschea antiquissima multis columnis marmoreis coloris porphyrii et serpentini lapidis mirando opere musaico elaboratis cum una turri quadrata, more Christianorum confecta; et ipsa quoque moschea olim ecclesia Christianorum fuit. Extant in civitate tres aliae turres quadratae antiquissimae a Christianis aedificatae.

131 Sexta die Decembris relicto Haran partim per terram cultam, partim per desertam ambulantes quinta mansione post Orffam venimus, quae Hur Chaldaeorum quondam dicta, ubi similiter Abrahami habitationem fuisse scriptura testatur dicens: "Qui eduxi te de Hur Chaldaeorum." Locus ille in manibus infidelium, qui moscheam habent. Et videtur binae piscinae innumeris piscibus refertae, quos sacros habent et ab Abrahami temporibus ibidem restasse dicunt, qui primum piscem immisit. Quem illi Ibrahim Pegamber et Prophetam vocant. Urbs ipsa antiquis muris cincta, cum castro editiore loco posita, quam fluviolus perlabitur. Extant in castello binae columnae satis altae, et in civitate binae turres quadratae, Christianorum opera. Et huc usque Christianorum villae se extendunt, apud quos plerumque vinum reperitur, quod hic in Orffa praestantissimum habuimus. Ab Orffa duo itinera Bir usque confeci ad flumen Euphraten. Quo quindecima Decembris navibus traiecto iterum Syriam ingressus et tertio post itinere, videlicet decima octava Decembris, sanus et salvus Hierapolim reversus sum laudando et benedicendo Deum, qui me hoc tam longo et difficillimo itinere ex tantis terrae marisque periculis clementer liberavit. Notandum, quod ex India Hierapolim usque omnes noctes sub dio egimus exceptis illis, quas in magnis civitatibus confecimus. In quibus etiam usque ad finem Octobris numquam sub tecto dormivimus.